Brandeis University
Library

As for the wise, their body alone perishes in this world — Rashi

Graham Shaw
1909

ORATORIA
SCIENTIARUM FAMILIÆ
TOTI
COGNATA
SEU
RATIONIS ET ORATIONIS
ARCTISSIMUM VINCULUM

ACCEDIT
LAUDANDA HYPOCRISIS
SEU
ELOQUENTIA CORPORIS
SECUNDUM
PRÆCEPTA, FUNDAMENTA,
ADJUMENTA,
QUIBUS
FORMATUR, PROBATUR, IMPETRATUR:

AUCTORE
ISRAELE THEOPH. CANZIO,
ELOQ. ET POES. P. P. O. ET SEMINARII ILLUSTRIS EPHORO.

TUBINGÆ,
Sumptibus CHRISTOPH. HENR. BERGERI,
MDCCXXXV.

PRÆFATIO.

SErenioris doctrinæ lumen, & igneæ facundiæ vim, eo penes nos loco eſſe oportet, ut nihil iis excellentius, amabilius nihil, à ſupremo rerum omnium conditore, generi humano datum unquam fuiſſe, & intelligamus præclare, & profiteamur ultro.

Illuſtre eloquentium ſidus, Cicero, uti orationem ſæpe aliâs, ſic & rationem, cui excolendæ doctrina comparata eſt, ſequenti præconio cohoneſtat: de offic. L. I. c. 3. §. 4. *homo*

268855

autem rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit, atque annectit futuras.

Eloquentiam vero, quis majori laudum cumulo ornet, quam pereximius ille inſtitutionum oratoriarum præceptor, Quinctilianus, L. II. c. 16. p. m. 122. *& hercle DEus ille princeps parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem ſeparavit à cæteris, quæ quidem mortalia eſſent, animalibus, quàm dicendi facultate.*

Rationis profecto, & orationis adſiduus cultus, uti nos, à reliquorum animantium ruditate, longiſſimo intervallo, ſejungit; ſic quamobrem *ſtudiorum humanitatis* ſplendidum nomen, apud Ciceronem, in orat. pro Arch. poët. c. 2. ſuo quodam jure geſtet, ex ſe ipſo quisque negotio non difficili cognoſcit.

Quæ cum, pro eo, ac debebam, recogitare mecum penitius cepi: eximiarum animi virtutum de indivulſo nexu perſuaſus, & eos errare exiſtimavi, qui venerandæ ſapientiæ aurum, horrida orationis ſorditie involverent: & illos fugiendos cenſui, qui deteſtandi erroris cœnum, inaniumve nugarum crepundia, comto, ac perpolito verborum habitu tegerent.

Loquendum, me judice, eſt, primum ſapienter, tum demum ornate: ſi animum quidem, qui oratorem decet, ſtudio humanitatis niteſcentem comprobare, neque hinc inculto ſermone ſapientiam odioſam reddere, neque illinc verborum lenociniis ſtultitiam, præſtare amabilem, placeat.

Priorem quidem eloquentiâ doctrinam fuiſſe, conſtat. Recte enim feliciſſimus ille puriorum latinitatis fontium ſcrutator, Manutius, in præfat. VI. ad orat. Cic. libr. p. m. 801. *doctrina*, inquit, *primum, ſerius enituit eloquentia: nec mirum: doctrinam enim ſine eloquentia laudamus; eloquentem ſine doctrina, recte intelligens nemo duxit.*

Potiorem præterea dicendi viribus ſapientiam eſſe, nemo forte, qui, quantum res verbis præſtent, ſciat, vocaverit in dubium: ſed tamen, uti, quem homini natura tribuit, formæ eximius decor, veſtimentorum, quæ aliunde adſciſcuntur, ornatu, mirifice augetur, & exſplendeſcit: ita, ſi ſapientiæ, ſuâ quidem naturâ perpulcræ, orationis nitor accedat; dici vix poteſt, quam elegantem quam

jucun-

jucundam virtutis imaginem, duarum venuſtatum concurſus, figuret.

Illud jam ſpecto, illud nunc maxime ſequor, ut, quam felici connubio, veræ ſapientiæ laus, cum limpidioris eloquentiæ ſtudio, copulata ſit, argumentis non contemnendis, condocefaciam. Quod quemadmodum nec à præſenti meo, nec ab illo, quod hebrææ olim, græcæ, & latinæ ſermonis doctrinam à me popoſcit, munere abhorret; tametſi tenuia quidem opuſcula, me auctore, luci olim expoſita publicæ, tum ob perpetuam, à typographorum labore, abſentiam; tum ob eorum, qui autographo deſcribendo adhibiti fuere, incuriam, non cultiſſima prodierint: ita nec à me alienum puto, quam arctum ſit, **rationis & orationis**, ſapien-

tiæ, & facundiæ, vinculum, pluribus, iisdemque variæ, interdum ſingularis doctrinæ, meditationibus, exponere. Duplex ad inſtitutum, quod perſequutus fui, via patet; utraque miro itineris compendio, ad præfixam metam perducens: alia veritatis non unius, quamcunque recentiorum veterumque philoſophorum adparatus, ſingulari adtentione proſequendam tradit, ex græcæ & latinæ eloquentiæ ſcriptoribus, fecunda oſtendit ſemina, mirifico humanitatis ſtudiorum, cum ſapientiæ præceptis, concentu; quod negotii propediem, ſi per auctoritatem publicam fieri poterit, exſequar; tertio illo tomo, cujus edendi fidem adſtrinxi dudum: alia vero, nullam philoſophiæ partem inveniri poſſe, commonſtrat, quæ

oratori

oratori non ſit perutilis, & maximo neceſſaria opere.

Eo autem ſpectat, quam præſenti libello navatam vides, pertenuis, nec forte, virorum doctiſſimorum guſtu, ſatis condignæ operæ, conſilium: Omnes propemodum veri claſſes pervagatus, pro eo ac debui, aut potui ſaltim, ſuo quodque loco oſtendi, quidquid oratorem cognoſcere, quidquid diſcernere, quidquid denique cognitum, ad proprios in eloquentia uſus referre par ſit. Hinc ipſarum ſæpe veritatum explicatiores notiones præbui: hinc de jure gentium, quod ad legatos, oratoria mirifice adjutos, pertinet, ſingularia præcepi: hinc de facundia ſacra, quæ auditores vario pietatis gradu internoſcit, non inutilia forſan docui: hinc de de-

coro, & qui ei derogat, oratorum pedantiſmo, quædam ſubjunxi: hinc alia addidi, quæ ex ipſa lectione cognoſci, quam hîc à me commendari, malim.

Unâ omnem oratoriam ideâ fui complexus. EST ENIM SAPIENTIA ORNATE LOQUENS. Sapientiam igitur poſcit: ideoque veri & honeſti ſcientiam, & amorem, per immenſa patentem. Eadem tamen oratoria, præter ſapientiam, & ornatu reſplendet: quorſum omnia rhetorum artificia pertinent. Sapientia virtus eſt mentis, ornatus verborum: illa in veritatibus ipſis, hic in ſermone ponitur. Quemadmodum verò pulcritudo omnis vel ſenſus delectat, vel animum, nec ulla animi ſenſuumque delectatio exſiſtere poteſt, absque intuitu cujusdam ordinis & conformi-

formitatis : ita quoque difficile non fuit, pluribus ut declararem, tropos, figurasque omnes, quotquot ornatûs nonnihil ac delectationis in oratione habent, ex συμμετρίᾳ quadam cooriri, quâ inter ſe vel VERBA, vel RES, vel PERSONÆ (horum enim trium varietate ars hæc continetur) conſentiunt, atque contemperantur.

De corporis eloquentia, quæ facundiæ huic mentis reſpondet, pluribus omnino egi, quam ante me, quod equidem nôrim, quisquam. Dedi præcepta, fundamenta ſcrutatus ſum, monſtravi adjumenta. Illa neceſſitatem, iſta veritatem, hæc facilitatem eloquentiæ, quæ ad corpus pertinet, ob oculos ponunt. Pleraque μελετήμασι quibusdam varii generis, forte non injucundis lectu, præbuerunt

buerunt occaſionem. Plura ab aliis, utiliora pariter ac rectiora dici potuiſſe, credo: atque tandem aliquando dictum iri lætus confido. Itaque tantum abeſt, eum, qui hæc parvi, aut nihili fecerit, ſtylo infeſto ut ſim proſequuturus, ut potius DEO, majora in alios animi dona conferenti, exquiſitiſſimas deberi gratias profitear. His præmiſſis proſequimur inſtitutum.

Σ. Θ.

ORATORIÆ NOTIO UNIVERSÆ SCIENTIARUM FAMILIÆ COGNATA.

§. 1.

ORatoriam artem in dicendo aliam, aliam in tacendo verſari, primo quidem obſervandum erit, neque à nobis prætereundum ſilentio.

Oratoria in dicendo, tacendo,

§. 2.

In duos iterum eloquentia illa ramos abit, quæ, mirum dictu! ſe commendat tacendo: aliam quippe prorſus mutam videas potius, quàm audias; aliam vero, quæ bene dicendi facultate quidem utitur, dexteritate tamen ſupervacua prudenter tacendi, inſtructam,

quotuplex in tacendo?

§. 3.

Illius mentionem facit Lucianus, T. I. de ſaltatione, p. 809. 810. edit. Amſt. 1687. Τὸ δὲ ὅλον ἤθη καὶ πάθη δείξειν, καὶ ὑποκρινεῖθαι, ἡ ὄρχησις ἐπαγγέλλεται, νῦν μὲν ἐρῶντα, νῦν δὲ ὀργιζόμενόν τινα εἰσάγουσα, καὶ ἄλλον μεμηνότα, καὶ ἄλλον λελυπημένον --- p. 810. λεσβώναξγοῦν ὁ Μιτυληναῖος ἀνὴρ καλὸς, καὶ ἀγαθὸς, χειροσόφους τοὺς ὀρχηστὰς ἀπεκάλει, καὶ ᾔει ἐπὶ τὴν θεάν αὐτῶν κ. τ. λ.

Oratoria muta quæ?

§. 4.

Hoc ex verſione Joannis Benedicti ſic interpretandum : *in univerſum ſaltatio pollicetur, ſe mores & affectus demonſtraturam, & ſimulaturam, nunc quidem amantem, nunc iraſcentem aliquem introducens : mox alium inſanientem, alium mærentem - - - Quocirca Lesbonax Mitylenæus, vir honeſtus ac bonus, ſaltatores* MANU SAPIENTES *adpellabat, ibatque ſpectatum ipſos, tanquam melior à Theatro reverſurus.*

§. 5.

Priſcis nota. Quam Pantomimorum artem, quæ manibus loquebatur, & geſtibus omnia effingebat, imitabaturque, priſcis quoque, ante Auguſtum, Romanis, cognitam fuiſſe, & Quinctiliamus docet, inſtitut : orat. L. I. cap. 11. p. 72. edit: Obrecht: his verbis : *Chironomia, quæ eſt, ut nomine ipſo declaratur, lex geſtûs, & ab illis temporibus heroicis orta, & à ſummis Græciæ viris, & ab ipſo etiam Socrate probata, à Platone quoque in parte civilium poſita virtutum - - Neque id veteribus Romanis dedecori fuit : argumentum eſt ſacerdotum nomine ac religione durans ad hoc tempus ſaltatio.*

§. 6.

probatur porro Et Salmaſius in notis ad hiſtoriam auguſtam p. 992. edit. Schrev. 1661. probat, *tres fuiſſe antiquiſſimæ & celeberrimæ ſcenicæ ſaltationis ſpecies,* TRAGICAM, COMICAM, & SATYRICAM : *harum nullam non manibus & corporis geſtibus, expreſſiſſe, quidquid in fabula ageretur.*

§. 7.

§. 7.

Quibus accedit Joſephus Scaliger in notis ad Sphær. barbaric. M. Manilî p. 360. edit. Argentorat. 1655. ubi Claudianum allegat, qui & ſcurram & Pantomimum pulcre his verbis deſignavit: aliis rurſus teſtimoniis

Nec molles egeant nota dulcedine ludi
Qui lætis riſum ſalibus moviſſe facetus
Qui nutu, manibusque loquax

Plura vide apud Morhoff diſſertat: de eloquent: in tacend: p. 448. quo loco tamen, nonnulla ex Caſſiodori L. II. variar. Epiſt. 40. verba citat, quæ in edit: Mariang. Acurſii 1533. plane non invenias.

§. 8.

Illa verò ars oratoria, quæ nonnulla prudenter tacendo, ſe facundiſſimam præbet, plenius ac doctiſſime deſcripta, repræſentatur à Morhoffio, diſſertatione, quam paulo ante laudavi. Nihil quippe aliud per eam intelligit, *quam prudentiam Oratoris, quâ id ſolum, quod in oratione ἐνεργητικὸν eſt, exprimit, ea vero quæ circa elocutionem περίεργα ſunt, aut ſuperflua, ab argumento, perſonis, loco, tempore, re aliena, aut quovis modo inepta, omittit, aut indicta eſſe cupit.* Quod argumentum, quia ſatis ab eruditiſſimo ſcriptore excultum eſt, heic denuo tractandum ut ſuſcipiamus, ne videamur agere actum, non magnopere à nobis requiri arbitramur. altera eloquentiæ in tacendo ſpecies à nobis non tangitur.

§. 9.

Itaque relinquitur, quod initio propoſuimus, Oratoriæ in DICENDO argumentum, non illuſtran- acceſſus ad inſtitutum.

illuſtrandum aut amplificandum, ſed unica duntaxat notione delineandum, cujus, cum univerſa eruditionis omnis familia ſplendidiſſima, cognatio, nexusque arctiſſimus, illam materiam ſubvehit, cujus evolvendæ, quantum inſtituti ratio permittit, fidem adſtrinximus noſtram, nunc liberandam pro menſura virium.

§. 10.

Notio oratoriæ parum ſufficiens removetur.

Oratoriæ majeſtatem parum ſufficiente idea repræſentat illa Thomaſii definitio in cautelis circa oratoriam p. 163. §. 1. edit. 1713. ubi ait: *die* Oratorie *iſt eine Kunſt einen andern durch eine geſchickte Rede etwas zu überreden.* Quid ſi falſa, quid ſi injuſta alteri perſuaderes? Te numquid Oratoris officio probe functum exiſtimares? An magis quomodo, quam quid dicas? referre putes? Minime vero.

§. 11.

auctoritate Voſſii.

Rectius proinde Gerh. Joh. Voſſius inſtitut: orator. L. I. num. 1. p. 2. edit. 1643. *non tamen*, inquit, *exiſtimandum eſt, ex Ariſtotelis ſententia, ſimpliciter Oratoris finem eſſe perſuadere*; ſed PERSUADERE JUSTA ET BONA. *Nam etſi eodem modo affectus ſit, ad perſuadendum, ſive juſta, ſive injuſta, ſi facultatem ipſam attendamus: tamen diſpar eſt ratio voluntatis; quia ſibi tantummodo proponere debet juſta & utilia.*

§. 12.

Confirmatur.

Quanto heic rectius Vir celebris ſentiat, ex ſequenti diſcurſu patebit, quo, ex Oratoris idea Viri boni notionem ſi tollas, vim illius ipſam

te

te ſublaturum, idoneis confirmabimus argumentis. Prius autem, quam ad id faciendum accedamus, de ſequentibus Lectorem moneri, non alienum erit.

§. 13.

Ariſtotelica oratoriæ definitio

Scio equidem, ab Ariſtotele Rhetoricam, ideoque & Oratoriam, (hactenus enim de utraque idem valet) ita definiri, ut dicat: ἔστω δὲ ῥητορικὴ· δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν: *ſit igitur Rhetorica facultas perſpiciendi quid in quaque re excogitari poteſt idoneum ad perſuadendum*: illud tamen, cum Philoſophus de eo unice loquatur, quod eſt IDONEUM ad PERSUADENDUM, eo non eſt extendendum, ac ſi perſuaſio, quæ forte re impetratur ipſa, Rhetorices finis exſiſteret, ejusdemque definitioni deberet, poſſetque inſeri: cum ſæpe & inepti ſermones aliis perſuadeant; ac viciſſim orationes vel graviſſimæ hunc non conſequantur effectum.

qua nonnulli male utuntur.

§. 14.

præparatio ad notionem noſtram.

Quamobrem perſuaſionis, in quam Rhetorica intendit ſuæ artis vires, mentionem, ex definitione ejus exeſſe malo, quàm, eâ intruſa, definitionem condere, quæ characterem rei primum, ac deinceps neceſſarium, nullo pacto complectitur, idque invitis omnino bonæ definitionis legibus.

§. 15.

Notio oratoriæ princeps

Sit igitur per me hæc oratoriæ notio, **prima, completa, fecundiſſima**, ex qua, quantum illa cum eruditione omni neceſſitudinem habeat,

beat,

beat, eluceat clariſſime: ORATORIA EST SAPIENTIA ORNATE LOQUENS. Quot verba, tot graviſſimarum rerum pondera. Quot notiones vocum adhibitarum, tot rami, infinitis ſurculis locupletati, quibus immenſæ ſcientiarum arbori oratoria inſita cognoſcitur.

§. 16.

Illuſtratur ex claſſicis

Non multum ab hac notione abludit, ille Quinctiliani, inſtitut: orator: L. XII. cap. 1. p. 710. edit: Obrecht: character, quem his verbis deſignat: *ſit ergo nobis Orator, quem inſtituimus, is, qui à M. Catone finitur*, VIR BONUS DICENDI PERITUS. Cum vero Tullius, ex Stoicorum mente, de amicitia, cap. 5. §. 7. ſcribat: *negant enim quemquam Virum bonum eſſe, niſi ſapientem*; ideoque apud pleroſque Philoſophos complicata fuerit bonitatis ac ſapientiæ idea: ſane perſpicuum eſt, nos, qui oratoriam adpellamus ſapientiam ornate loquentem, à Quinctiliano parum diſſidere, aut nihil.

§. 17.

Vir bonus & ſapiens idem

Vir bonus utique, quem Cicero format, offic. L. III. cap. 19. §. 734. edit. Roth. non ſapere non poteſt, de quo ita ſentit: *at vero, ſi quis voluerit animi ſui complicatam notionem evolvere, jam ſe ipſe doceat, eum Virum bonum eſſe, qui proſit, quibus poſſit; noceat nemini, niſi laceſſitus injuria.* Jam vero is haud ſtulte ſapit, qui, quid injuria ſit, quomodo, ſalvis boni Viri laudibus, propulſari debeat, perſpectum habet.

§. 18.

§. 18.

Si Leibnitianam illam in Codice diplomatico præfat : p. 6. licet numerorum characteribus non inſignitâ, Viri boni notionem ſequaris, quod ſit *is, qui amat omnes, quantum ratio permittit :* tanto facilius oſtendes, qui vir bonus ſit, eundem & ſapientem eſſe, recte igitur Oratorem adpellari, Virum bonum, ſeu ſapientem, ornate loquendi facultate, inſtructum. probatur ulterius.

§. 19.

Qui enim omnes amat, quantum ratio permittit, is adcurate perſpectum ac exploratum habet, qui nam ſint ſui, quô in alios fertur, amoris, in omni oblato caſu, eventus, boni an mali; ideoque novit idem, quando par ſit, à nobis in alios amoris teſtimonia ut proficiſcantur : ſeu, quo tempore, ea cohiberi, ob indignitatem aliorum, æquum ſit. In eo enim ratiocinandi facultas poſita intelligitur, ut tuæ cum eventibus actionis nexum perſpicias : in ea autem dexteritate etiam ſapientia recondita eſt, ut, quid in quoque caſu, verum, quid honeſtum ſit, cognoſcas, ac ſequaris. explicaturque

§. 20.

Firmum igitur, ex mente præſtantium tum Oratorum, tum Philoſophorum, fixumque manet, ORATORIAM ESSE SAPIENTIAM ORNATE LOQUENTEM. Quod cum ita ſit, tribus omnino ideis, immenſus hujus diſciplinæ ambitus, comprehenditur : SAPIENTIA, ORNATU, & FACULTATE LOQUENDI. Singula excutienda erunt, ut notionis tres Oratoriæ notiones partiales.

 tionis

tionis totius, cum eruditione univerſa, nexus, tanto magis cadat ſub oculos.

§. 21.

Inque illis quid ſapientia?

Oratoriæ igitur vim intelligit nemo, niſi idem, quid ſapientia ſit, animo complectatur & volvat. Sapientia autem, meo tenui judicio, eſt SCIENTIA, AMORQUE, VERI, ET HONESTI.

§. 22.

conciliatur definitio cum aliorum idea

Primo quidem hæc ſententia non magnopere differt ab eorum ſenſu, qui *ſapientiam principem dicunt, rerum tum divinarum, tum humanarum ſcientiam, in qua continetur DEorum & hominum communitas* : quod Cicero ſcribit, de offic. L. I. cap. 43. §. 7. edit. Roth. non ab eorum, qui eam cum Leibnitio in præfat. ad codic. diplom. p. 7. numeris quidem non diſtincta, *ſcientiam felicitatis* interpretantur : non denique ab illorum placito, qui ſapientiam illam dexteritatem adpellant, *quâ deſtinationes actionum omnes ita inter ſe connectuntur, ut tandem communi inſerviant ſcopo principi* : quæ definitio Wolfii eſt Metaph. germ. §. 914.

§. 23.

cum prima

Nam ſi prima quidem ſententia placet, noſtra ſane ſapientiæ idea, de qua §. 21. improbari nequit. Res enim divinæ veritatem, res autem humanæ, quæ nullæ aliæ ſunt, quàm hominum actiones, honeſtatem, ſive ex ſe, ſive ex obliquo, & per contrarium, diſcendam, ei offerent, qui adtentum animum adplicare non fuerit dedignatus.

§. 24.

§. 24.

Qui deinde cum ſecunda ſapientiæ idea fecerit, eum non poterit fugere, illi demum felicitatem cognitam eſſe, qui & veritatem perſpiciat, & amet honeſtatem. Quid? quod tertio is finibus adjumenta rectius ſubordinare didicerit, qui, propoſito felicitatis ſcopo, per veri ſcientiam, & honeſtatis amorem, occurrere fuerit conniſus. cum ſecunda & tertia idea.

§. 25.

Neque me pœnitet, ſapientiæ ideâ, amorem & praxin honeſti, eſſe complexum. Deſipit ſapientia, quæ non verſatur in rerum uſu ac exercitatione. Bene Cicero: de offic. L. I. cap. 43. §. 9. *Manca, inquit, quodammodo, atque incoata ſit, cognitio contemplatioque naturæ, ſi nulla actio rerum conſequatur. Ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur.* cur in ſapientia honeſti requiram amorem?

§. 26.

Quum igitur ſapientem eſſe deceat Oratorem, i. e. *veri ac honeſti ſcientem, amantemque*; quis non videt, quam late, per omnem eruditionis ambitum, pateat oratoria? Nihil hinc excluditur. Quidquid cogitatur ſapienter, id & ornate eloquendo proferri poteſt, & aliquando debet. Præclare Servator: Matth. 12. v. 34. ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ ςόμα λαλεῖ, quod ex Caſtellionis verſione hoc ſonat: *ex animi redundantia loquitur os.* inde ſequitur Oratoriæ ambitus ingens

§. 27.

Quin igitur ſapientiæ notionem plus ultra ulterior notionis evolutio

evolvamus, ut, quam nullis circumſcripta limitibus oratoria ſit, quam longe lateque diffundatur, quousque fimbrias dilatet ſuas, luculentius cognoſcamus. Primo quidem ſapientiam, quæ Oratoris propria eſt, ſcientiam eſſe diximus. Quid eſt ſcientia? **Rerum cognitio ſolidis nixa rationibus.** Arbitror hanc definitionem exæquare definienda, tum ea charactere certo inſignire, qui primo in illis cogitari debet, quoties de illis cogitandum judicamus, denique eandem definitionem eſſe perſpicuam: quibus bonæ definitionis leges explentur.

§. 28.

comparatur cum Ariſtotelis idea

Ariſtoteles ſcientiam ita definivit, ut non æque late pateret cum definito. Verba ejus hæc ſunt: Anal. poſter. L. I. cap. 33. organ. p. 461. edit: Pacii à Beriga: ὅτι ἡ μὲν ἐπιστήμη, καθόλου, καὶ δι ἀναγκαίων, τὸ δὲ ἀναγκαῖον οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν - - δῆλον οὖν περὶ μὲν ταῦτα ἐπιστήμη οὐκ ἔστιν: *quia ſcientia eſt univerſalis & ex neceſſariis: neceſſarium autem non poteſt aliter ſe habere - - - conſtat igitur circa hæc non eſſe ſcientiam.*

§. 29.

ſuppletur

Rerum neceſſariarum igitur duntaxat ſcientiam eſſe exiſtimat Philoſophus hicce. Qua quidem notione admiſſa, diſciplinæ tantum Matheſeos, & ſi quæ aliæ forſan ſunt, quas circa neceſſaria verſari putamus, ſcientiam gignerent: quod ſane non perſuaſerimus cuilibet.

§. 30.

Scientia quidem neceſſitatem poſtulat, ſed connexionis, quâ res cum ſuis rationibus cohærere intelliguntur; non rerum ipſarum: conſequentiæ, non conſequentis: logicam in concludendo; non in exſiſtendo geometricam. Neque enim ſcientia res neceſſarias, ſed tamen neceſſario cognoſcit. & refutatur

§. 31.

Non conceditur opinioni locus, ubi imperium ſcientia tenet. Quamobrem, qui ſapiens Orator ſcientiam, non opiniones, ſequitur, ſedulo cavet, ne nubem pro Junone, conjecturas pro maturis ſcientiæ robuſtæ fructibus, vendat. ſcientia excludit opiniones

§. 32.

Perdocte Cicero de offic. L. I. cap. 23. §. 8. edit. citat: *quanquam hoc animi, illud etiam ingenii magni eſt, præcipere cogitatione futura, & aliquanto ante conſtituere, quid accidere poſſit in utramque partem; & quid agendum ſit, cum quid evenerit, nec committere, ut aliquando dicendum ſit:* NON PUTARAM. ſane quum alios eloquentiâ movere Orator annititur, ſi nonniſi opinionibus ducitur, quas auditoribus perſuadere ſtudet: facile inſtituti effectu fruſtrari, & quidvis potius, quàm proclivem in ſe, ſuaque verba, animum experiri poterit, triſtem conquerendi occaſionem nactus: NON hæc eventura PUTARAM. probatur & applicatur

§. 33.

Sua eloquentiæ crebro alea, uti bellorum uſus ſcientiæ in

eventi-

Oratoria ſimili illuſtratus eventibus eſſe ſolet. De Scipione Africano, Valerius Maximus L. VII. cap. 2. p. 240. edit. Gohl. memoriæ prodidit: *Scipio Africanus turpe eſſe ajebat, in re militari dicere: non putàram. Videlicet quia explorato & excuſſo conſilio, quæ ferro aguntur, adminiſtrari oportere arbitrabatur.* Seneca L. II. de ira, cap. 31. p. 570. edit. Morell. ſcribit: *turpiſſimam ajebat Fabius Imperatori excuſationem eſſe:* NON PUTAVI.

§. 34.

continuatur Sæpe enim, opinionibus decepti, ſpem animo ingentem præcipiunt, magna auſi expedire facinora: ſed, re minus proſpere geſta, ſero incipiunt ſapere, non ſine maximo, & ſuo, & reliquorum, quos tuentur, detrimento.

§. 35.

periculum opinionum in Oratoria Eâdem fere fortunâ Oratores utuntur, freti ſuis, de quibus verba ſunt facturi, opinionibus Ut quisque de rebus, quas oratione perſequitur, minime certus eſt; quum ſe certum eſſe putat: ita eum maxime etiam falli neceſſe eſt. Bene Cicero de Oratore L. I. p. 81. edit. Schrevel. 1687. *mihi etiam quique optime dicunt, quique id facillime, atque ornatiſſime facere poſſunt: tamen niſi timide ad dicendum accedunt, & in ordienda oratione turbantur, pæne impudentes videntur, tametſi id accidere non poteſt. Ut enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem* VARIOSQUE EVENTUS ORATIONIS, exſpectationemque hominum pertimeſcit.

§. 36.

§. 36.

Ne igitur varii orationis eventus, forte non magnopere grati, extimeſcendi ſint; nullum ſuppetit ſalutarius conſilium, quàm ut, nonniſi de certis & exploratis, quorum penes nos ſcientia eſt, dicere aggrediamur. Id enim, ut præſtes, ſapientis eſt. Oratoriam vero in ſapientia ornate dictura collocatam §. 20. obſervavi. cui occurres ſcientiâ

§. 37.

Sæpe, inquis, *Oratores præſtantiſſimi, opinionibus ſuis dicendo inſtillandis, plus valuerunt, quàm qui veritates mathematico demonſtratas rigore propoſuerunt.* Numquid ſine verborum ornatu, ſine affectuum motu, id ſunt conſecuti? Non ſane, puto, affirmabis. Quodſi igitur opiniones, verborum pigmentis imbutas, & oratorio decore fucatas, auditoribus perſuadere licuit: quanto majoris efficaciæ, veritas exacte demonſtrata, & ad ſolidam revocata ſcientiam, fuiſſet, ſi eam quidem tam eleganti orationis habitu veſtire placuiſſet? objectio solvitur

§. 38.

Inde non ferit illud dubium, quod à vulgi ingenio, cui opiniones, concinnis repræſentatæ dictionum coloribus, quàm maxime arrident, plerumque deſumitur. Quando v. g. Suidas in lexico, ad vocem Δόξα, T. I. p. 765. edit. Æmil. Port. ſequentia tradit: δόξα δὲ ἐστιν ὁ παρὰ τῶν πολλῶν ἔπαινος, εἰ δὲ τῶν πολλῶν ὅτι τῶν οὐκ εἰδότων. *Gloria, ſeu opinio, eſt laus, quæ à populo manat. Si vero à populo manat, pro-* aliud dubium diluitur

fecto

fecto conſtat, eam ab iis manare, qui rerum ſunt imperiti, quibus verbis ſignificatur, plebem plerumque opinionum torrente ultro citroque raptari.

§. 39.

reſponſio Sed uti obſecundandum aliquando tempeſtati eſſe, non diffiteor; quis enim ſuum non addit calculum tritiſſimo illi, v. g. Plautino effato, in Stich. Act. I. ſcen. 2. vers. 63. edit. Taubm. *è malis multis malum quod minimum eſt, id minimum eſt malum*: ita nullus dubito, quin, ſi allegari poſſint caſus, ubi vincant opiniones, multo proclivius judicium ſit, longeque plures exſiſtere eventus poſſint, ut & ſcientiæ, queis Oratores ſtudere dignentur, in animis Auditorum triumphaturæ ſint.

§. 40.

quid de opinionibus habendum? Celeberrimi proinde oratores in opinionum, quibus populo imponitur, monſtra, graviter ſunt invecti. Muretus Orat. X. p. 107. edit. Lipſ. 1714. his verbis utitur: *reliqua eſt opinio, varium & multiforme monſtrum: quoque non Proteus, aut Vertumnus plures induerit ſpecies. Quamquam enim in rebus incertis & fortuitis proprium illius munus eſt: non tamen eis ſe finibus continet; ſed indomita quadam & effrenata licentia per omne genus rerum temere ruens, omnia permiſcet atque perturbat. Interdum etiam ſeſe pro ſapientia, pro ſcientia, pro prudentia venditans, homines nimium fidentes ſibi in graviſſimos ac pernicioſiſſimos inducit errores.*

§. 41.

§. 41.

Quamvis vero Oratori opinionibus, quæ enuntiationes ſunt, non ſatis probatæ, vid. Wolff. Logic. lat. §. 602. p. 447. quantum fieri poteſt, utendum non ſit: ſæpiſſime tamen caſus incidere ſolent, ubi, deficiente ſcientiâ, veroſimili cognitione nos eſſe contentos oportet. Veroſimilis autem cognitio illis rebus nititur, quæ ſi non ſemper, certe quidem, plerumque fiunt. quid de veriſimilitudine

§. 42.

Ariſtoteles Rhetor: L. I. cap. 2. §. 38. edit. Schraderi, in hanc rem ita ſcribit: τὸ μὲν γὰρ εἰκός ἐστιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γινόμενον, οὐχ ἁπλῶς δὲ, καθάπερ ὁρίζονταί τινες, ἀλλὰ τὸ περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν, οὕτως ἔχον πρὸς ἐκεῖνο, πρὸς ὃ εἰκὸς, ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος. *Nam veriſimile quidem eſt, quod plerumque fit, non ſimpliciter tamen, ut quidam definiunt, ſed id demum, quod ita affectum eſt, ad id, ad quod probandum adhibetur, ut univerſum ad particulare.* quid ſit?

§. 43.

Alibi, nempe Topicor. L. I. cap. 1. §. 7. in organo edit. 1598. ita ſentit: ἔνδοξα δὲ, τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς, καὶ τούτοις ἢ τοῖς πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις, καὶ ἐνδόξοις. *Probabilia autem ſunt, quæ videntur omnibus, vel pleriſque, vel ſapientibus: atque his vel omnibus, vel pleriſque. vel maxime notis & claris.* alio teſtimonio

§. 44.

Quod igitur, juxta Ariſtotelem, plerumque fit, Veroſimilia in hoc

minum vita ſepe uſui

fit, vel, quod plerique ſive hominum, ſive, ex illis, ſapientum, credunt, id illi veroſimile videtur. Cujus quidem, ubi altior ad ſcientiam aditus, atque adſcenſus non præbetur (non præbetur autem in plerisque humanæ vitæ negotiis) maximus, & ſcientiæ æquipollens, uſus eſt.

§. 45.

inde & in orationibus

Mihi non diſplicet eorum ſententia, qui *eam eſſe veroſimilitudinem contendunt*, **cujus quidem ſit quædam ratio, ſed non ſufficiens.** Ut ſi Oratori actio ſuadenda obverſetur, cujus eventus, in quatuor v. g. caſibus proſpere ſuccedere queat, in uno autem, qui contingere poteſt, vergere poſſit in partem deteriorem; Veroſimilis tum erit oratio: Quia tamen haud exploratius quidquam obtineri poteſt, ſcientiæ æquipollebit huc usque veroſimilitudo, neque Orator, probabiliorem ſecutus partem, non ſapiens erit.

§. 46.

probatur exemplis veterum.

Ex hoc genere profecto ſunt pleræque orationes, quas Veteres, pro concionibus, ſive in publicis cauſſis, ſive privatorum, habuerunt: quibus cum eventus non reſponderit ſemper, nullâ ipſos Oratores, in perſuadendis his illisve rebus, ſcientiâ polluiſſe, facillime intelligitur. Verum recte Hieronymus Wolfius in præfat: ad orationes Æſchinis ac Demoſthenis adverſarias, p. 166. ſuæ editionis, ſcribit: *multo etiam iniquiores eſſe, qui conſilia ex eventu ſpectant: nec iniquos duntaxat ſed parum etiam ſapientes,*

ſapientes, qui cum ipſi nec privatam, nec publicam rem gerere ſciant, ſe poſt tot ſecula Demoſthenis & Ciceronis Magiſtros eſſe debere putant - - perpetuum eſt conſilio certamen cum fortuna: neque hæc ancipiti Marte confligere deſiſtunt prius quam arbitrium eventûs litem irreconciliabilem diremerit.

§. 47.

Reprehenſus Demoſthenes fuit, qui arma Athenienſibus adverſus Philippum capienda, perſuaſerat: cui ille criminationi in oratione de corona p. 340. edit. Hieron. Wolff. ita quidem occurrit: ἐν ὅις τὴν προαιρεσίν μου σκόπει τῆς πολιτείας, μὴ τὰ συμβαίνοντα συκοφάντει, τὸ μὲν γὰρ πέρας, ὡς ἂν ὁ δαίμων βουληθῇ, πάντων γίγνεται, ἡ δὲ προαίρεσις αὐτὴ τὴν τοῦ συμβούλου διάνοιαν δηλοῖ, μὴ δια τοῦτο, ὡς ἀδίκημα ἐμὸν θῇς, εἰ κρατῆσαι συνέβη Φίλιππον τὴν μάχην, ἐν γὰρ τῷ θεῷ τὸ τούτου τέλος ἦν, οὐκ ἐν ἐμοί. ſpeciatim Demoſthenis

§. 48.

Quæ latino idiomate ita exprimuntur: *In quibus inſtitutum mearum adminiſtrationum ſpectare, non eventum calumiari debes. Rerum enim omnium exitus talis eſt, qualem DEus voluit. Ipſum vero propoſitum conſulentis animum declarat. Ne igitur id injuriæ loco mihi numeres, ſi ita contigit, ut Philippus prælio victor eſſet.* EJUS *enim* REI FINIS IN DEI VOLUNTATE, NON PENES ME FUIT.

§. 49.

Nempe in plerisque humanis negotiis, tot & tantæ ſunt determinationes convolutæ, tot ex additur ratio

improviſo enatæ mutationes, ut nulla humana prudentia, quantalibet, ſemper & ubique, quidquid id eſt notionum complicatarum, ad calculum diſtincte revocare, & ex præſentibus, cum futuris nexum, explorato judicio, animo præcipere queat. Multum, plus, plurimum igitur remanet veroſimilitudinis, infinitis iterum gradibus, ab imo ad ſummum, diſcernendæ.

§. 50.

alia ratio à præſumtionibus in foro

Maxime id in cauſſis forenſibus hodieque perſpicitur, ad quas agitandas oratoria olim comparata fuit. Quem enim fugit, quanta in foro præſumtionum vis & efficacia, in arguendis ſceleribus, exſiſtat? Eo enim plerumque artificiales illæ probationes, (ſic enim vocantur) valent, *ut vel onus probandi rejiciatur in affirmantem contrarium, vel major probatio ſecure negligatur. Prius fit cum minor adeſt veroſimilitudo. Poſterius cum maxima.* Verba ſunt Gundlingii in Jur. Nat. & Gent. edit. II. 1728. p. 452. 453.

§. 51.

In oratore & amor veri ac honeſti inſit

Cum igitur Orator ſapiens, i. e. veri honeſtique ſciens, aut ſaltim, ejus probabiliori cognitione imbutus eſſe debeat: porro, ex ſapientiæ idea, eum veri honeſtique amantiſſimum eſſe oportet. **Eſt autem amor propenſio, ex alicujus ſive perſonæ, ſive rei, felicitate, aut incremento, voluptatem capiendi.** Neſcit verum, neſcit honeſtum, qui non amat utrumque. *Nihil eſt enim amabilius*

lius virtute; nihil, quod magis alliciat adæligendum: quippe cum propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus. Loquor cum Tullio, de amicitia cap. 8. §. 10. 11.

§. 52.

Si vera ſunt citati ſcriptoris verba, (ſunt autem certe) epiſt. L. XIV. ad Attic. p. 961. edit. Schrev. *nihil eſt enim, mihi crede, virtute formoſius, nihil pulcrius, nihil amabilius:* qui eam intueri, & cognoſcere adcuratius cœpit, quin ardentiſſimo in illam feratur amore, non ſibi imperet, neceſſe eſt. Tam late hæc regula patet, ut ne in ſacris quidem fallere unquam poſſit. Præclare ob eam ſcribit cauſſam, Johannes cap. 4. v. 8. ὁ μὴ ἀγαπῶν, ὀυκ ἔγνω τὸν θεὸν, *qui non amat, non cognovit DEum,* i. e. ſupremum tum veri tum honeſti omnis fontem. probatur ulterius

§. 53.

Qui verò veritatem cum honeſtate conjunctam amat, is unà in ejus propagandæ, cum aliis communicandæ, ejus deprædicandæ, ſtudium, diligentiſſime incumbet. Id enim ſignificat AMORIS, quem definivimus, notio, ipſi quoque probata Ariſtoteli, qui in Rhetor: L. II. cap. 4. §. 4. edit. Schrad. p. 106. his ſuam verbis expromit mentem: amoris ejus effectus

§. 54.

Τούτων δὲ ὑποκειμένων ἀνάγκη φίλον εἶναι, τὸν συνηδόμενον τοῖς ἀγαθοῖς, καὶ συναλγοῦντα τοῖς λυπηροῖς, μὴ διά τι ἕτερον ἀλλὰ δι᾽ ἐκεῖνον. *His autem poſitis neceſſe eſt amicum,* (amantem) *eſſe* notio Amoris Ariſtotelica & leibnitiana.

eſſe eum, qui unà gaudet bonis, doletque adverſis alterius, nullam aliam ob cauſſam, niſi propter illum. Nova igitur non eſt Leibnitii idea, quâ amorem repræſentat, in præfat. Cod. diplom. p. 6. his verbis: *amare autem ſive diligere, eſt felicitate alterius delectari.*

§. 55.

ejusdem applicatio ad Oratorem

Quæ cum ita habeant; Oratorem nos intelligimus nullum, quin idem ex auditorum felicitate, quæ nonniſi veritatis virtutisque ſtudio promovetur, ſummam capiat voluptatem. Hinc nonniſi ea dicendo conſequi annititur, quæ audientibus ſalutaria, quæ certa & explorata, aut ſaltim probabiliora, quæ bona corporis aut animi augere poſſe cognoſcuntur.

§. 56.

effectus amoris

Id quidem optimum orationis genus eſt. Ex amore enim tali ſermonis vigor, dicendi flumen, contentionis affectus, verborum copia (quem namque diſertum non facit?) pronuntiationis ſuavitas, actionis lepor, & quidquid commendare eloquentem poteſt, prono manare alveo ſolet.

§. 57.

probatur

Sane, quæ apud Plautum verba extant in Trinumm. Act. II. ſcen. 4. vers. 85. ſeq. edit. Taubmann. p. 1334.

Id optimum eſſe, ut tute ſis optimus
Si id nequeas, ſaltim ut optimis ſis proximus

ſi alibi unquam pondus habent, in formando Oratore, negligenda non ſunt. Ea quippe optima oratio, quæ ab optimo proficiſcitur.

citur. Optimus autem is eſt, qui veritatem honeſtatemque quam maxime diligit.

§. 58.

Non diffiteor vel nequiſſimos quandoque dicendo tantum conſecutos, ut, quidquid ſibi impetrandum propoſuerunt, feliciſſimo eventu attigerint. Teſtis eſt Piſiſtratus, de quo Valerius Maximus L. VIII. cap. 9. in extern. num. 1. *Piſiſtratus*, ſcribit, *dicendo tantum valuiſſe dicitur, ut ei Athenienſes regium imperium oratione capti permitterent, cum præſertim ex contraria parte amantiſſimus Patriæ Solon niteretur. Sed alterius ſalubriores erant conciones, alterius diſertiores, quo evenit, ut alioqui prudentiſſima civitas libertati ſervitutem præferret.* objectio

§. 59.

Sed ſi tantum facundia valuit in cauſſis non omnino optimis; quanti illam futuram exiſtimas fuiſſe, ſi cum ſcientia ac amore veritatis pariter ac honeſtatis copulata fuiſſet? Quanta ab honeſtatis amore in eloquentiam vis, quæſo, fuiſſet profectura? ſolvitur

§. 60.

Infinita ſunt, quæ inter honeſtum ac turpe ambigunt, communicantia cum neutro: quorum tamen momenta, ex æquilibrio prodeuntia, tum demum in certam partem inclinare cœptant, quum ab eo aguntur, qui aut Vir bonus, aut malignus eſt. Adeo ſemper munita hypocriſis non eſt, à Viro malo adhibita, quin exploratori cuidam, inter auditores, prudenti, ac callido rerum æſtimatori, per averſas vias, nec confirmatur

Oratori conſpicuas, aditus præbeatur ad animi receſſus interiores, obſcuros, fraudulentos, & turpitudinis undique macula contaminatos: quibus orationis gratia repente extinguitur omnis. Tantum nempe refert, Oratorem & **veri** & **honeſti** eſſe amantiſſimum.

§. 61.

teſtimonio Terentii Non male in hanc rem Terentius ſcribit in Heavt. Act. I. ſcen. 2. vers. 19. ſeq. p. 309. edit. Sincer:

Quid reliqui eſt, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias
Atque hæc perinde ſunt, ut illius animus qui ea poſſidet
Qui uti ſcit, ei bona, illi, qui non utitur recte, mala.

ſi ſimilem facundiæ dixero cauſſam, quòd ſordeat in homine malo, ex Viro autem bono arrideat; nihil equidem dixero, quod cum ſana ratione non commodiſſime conſentiat.

§. 62.

quid ex amore honeſti in oratore ſequatur Falſa ac turpia ſuis perſuadere velle, cum, quantum à recta abhorreat ratione, per ſe ipſum intelligatur, non equidem neceſſarium duco, pluribus probandum ut ſuſcipiam, nihil eo deteſtabilius excogitari poſſe. Quis non illos deteſtatur, quorum orationes, privatæ utilitatis ſtudio, populum in partes trahere conabantur?

§. 63.

§. 63.

Habemus exempla eorum, qui hoc ſe crimine, magna apud poſteros ignominiâ, coinquinârunt. *Pernitioſe enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile paſſus eſt, & in eo vehementer ſe moderatum præbuit: ſed cum in agendo multa populariter, tum illud male:* **non eſſe in Civitate duo millia hominum, qui rem haberent.** *Capitalis oratio & ad æquationem bonorum pertinens.* Cicero ſcribit, de offic. L. II. cap. 21. §. 6. 7. edit. Roth. exemplum à contrario

§. 64.

Nunquam igitur nervos Orator ſuos in id intendat, ut, quæ ſuis inſerviunt commodis, intueatur; ſed quæ vera, quæ honeſta, ideoque quæ publice utilia eſſe, ab omnibus, certe pleriſque, habentur: ea animo propoſita volvat, illa dicendo ſequatur, ad ea omnem meditationis, ordinis, elocutioniſque vim, quanta quanta eſt, perdiligenter referat. inde regula

§. 65.

Fieri id autem nequaquam poſſe exiſtimandum eſt, niſi eodem ſit orator affectu commotus, quem in aliis excitare connititur. Quis namque veri honeſtique ſtudium aliis dicendo perſuadeat, (in quo ſcopo omnes eloquentiæ lineas coire novimus) niſi eodem ipſe amore flagret, ut nec de tantis verba facere rebus poſſit, quin, præclaro auditorum exemplo, exardeſcat totus? Quod aliis ſuadet orator, ipſe amet.

§. 66.

probatur

Recte Veteres obſervârunt, à frigore affectuum, quo orator alget, exſpectari non poſſe, quod auditores ſive commoveat, ſive ad aliquid credendum, ſequendumque, inducat.

τὸν θ' ὑμνοποιὸν, αὐτὸς ἂν τίκτῃ μέλη
χαίροντα τίκτειν. ἢν δὲ μὴ πάσχῃ τόδε
οὔτοι δυναιτ' ἂν οἴκοθεν γ' ἀτώμενος
τέρπειν ἂν ἄλλους· οὐδὲ γὰρ δίκην ἔχει.

Pöetam dum ipſe verſus parit
Gaudere, eo quod parit: niſi enim hoc modo affectus ſit,
Haud poterit utpote læſus domi
Delectare alios: non enim judicium habet.

Verba ſunt Euripidis Act. I. in ſupplicibus p. 280. edit. Joann. Oporin. Hinc & Horatius:

Non ſatis eſt pulcra eſſe pöemata, dulcia ſunto,
Et quocunque volent, animum auditoris agunto
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adſunt
Humani vultus. Si vis me flere dolendum eſt,
Primum ipſe tibi: tunc tua me infortunia lædent.

de arte pöetica, vers. 99-103.

§. 67.

opportunitas notionis de amore

Occaſione illorum, quæ definitioni amoris Ariſtoteles inſerit §. 54. ut amemus, ob nullam cauſſam, quam propter ipſos amatos, noſtræ notionis laudes poſſem extollere, ejusdemque oſtendere & accurationem & fecunditatem; præſertim ubi de amore, quem vocant, puro, agitatur controverſia: omnis enim amor,

amor, eô ipſô, quia eſt amor, ſuam cum amato utilitatem communem habet, quum eodem delectatur, quæ opportunitas quidem, ſalva amoris notione, ab ea ſeparari non poteſt: quoniam tamen hæc ad Ethicam potius, quàm ad oratoriam pertinent, ideo ea ſuo relinquenda loco arbitror.

§. 68.

Sufficit monuiſſe, eo digitum intendere Leibnitium, qui præfat: laudata ad Codic. diplom. p. 6. 7. his verbis utitur: *amare autem ſeu diligere eſt felicitate alterius delectari, vel, quod eodem redit, felicitatem alienam adſciſcere in ſuam. Unde difficilis nodus ſolvitur, magni etiam in Theologia momenti: quomodo amor non mercenarius detur, qui ſit à ſpe metuque, & omni utilitatis reſpectu ſeparatus? ſcilicet quorum felicitas delectat, eorum felicitas noſtram ingreditur, nam quæ delectant, per ſe expetuntur.* illuſtratur teſtimonio

§. 69

Illa igitur abſtractio, quâ quæritur, ùtrum, qui cum DEO unitus eſt, inter pœnas infernales amare DEum debeat, poſſitque; quoniam in amore & unione DEI nonniſi delectatio ac felicitas ineſſe poteſt: ex æquo abſurda eſt, ac iſthæc: utrum, qui in cœlo eſt, (in amore DEI 1. Joh. 4. v. 16.) unà poſſit affligi æternis cruciatibus? ſed manum de tabula. explicatur ulterius

§. 70.

Perſecuti ſumus duas ſapientiæ notiones, ſcientiam & amorem, quarum utraque cadere in tertia ſapientiæ notio

 oratorem

Oratorem debet : reliquum eſt, ut cæteras ſapientiæ ideas, quæ ad veritatem, honeſtatemque pertinent, adcuratiore ponderemus mentis trutinâ. QUID EST VERITAS ? ardua quæſtio eſt, à Pilato propoſita Joh. 18. v. 38. nec deciſa à Chriſto.

Veritas quid?

§. 71.

àScepticis allatratur veteribus

Quibus veritatem furoribus allatraverint Scepticorum, cum veterum, tum hodiernorum, diffuſa agmina, longius hîc enarrare, nec inſtituti ratio permittit, nec temporis. Plenus eſt liber academicarum quæſtionum Ciceronianus, ejusmodi ſententiis : nihil quidquam ſciri, aut percipi poſſe. v. g. L. IV. T. IV. edit. Gothofr. p. 54. has ineptias recenſet : *ſi dies eſt lucet : quanta contentio eſt ? aliter Diodoto, aliter Philoni, Chryſippo aliter placet. Quid ? cum Cleanthe Doctore ſuo, quam multis rebus Chryſippus diſſidet ? Quid ? duo vel Principes Dialecticorum Antipater & Archidemus opinioſiſſimi homines, nonne multis in rebus diſſentiunt ?*

§. 72.

hodiernis

Quantopere hodierni veritatis characterem in dubium vocent, qui videre cupit illuſtre exemplum, Huetii libellum, *Traité philoſophique de la foibleſſe de l' Eſprit humain*, edit. 1723. adire poterit. *Mais il faut montrer par la choſe même, que l' homme ne peut connoitre la verité par la raiſon, avec une parfaite certitude. J' ai dit là deſſus que la verité eſt la convenence de l' objet exterieur, avec le jugement*

ment, qu'en forme notre entendement, en vûe de l' idée de cet objet, qui eſt en nous.

§. 73.

Plura non addo, ne ad ea, quæ ad inſtitutum pertinent, via præcludatur. Miſſis hominum graviter inſenſatorum, qui nimium intelligendo faciunt, ut intelligant nihil, deliris ineptiis, ad veritatis notionem, ſi placet, applicabimus animum. VERITAS EST CONFORMITAS RERUM, QUA EX SE MUTUO INTELLIGUNTUR. Veritatis definitio

§. 74.

Quâ definitione haud quidquam ſive certius, ſive fecundius, ſive, ad lucem reliquis omnibus affundendam, adcommodatius. Neque equidem erravero, ſi me ejus in ſacris veſtigia animadvertiſſe, fatear ingenue. Certe, quod Spiritus S. de falſis adverſus Chriſtum perhibitis teſtimoniis judicat; ex quo præterea illa ipſa mendacii coarguere videtur: NON ERANT CONFORMIA TESTIMONIA eorum; id haud obſcure ſignificat, uti mendacia metiamur pugnâ conceptuum, verborumque ac cordis diſſenſu, ſic veritatem ex conformitate æſtimandam eſſe. probatur ex ſcriptura.

§. 75.

Dixeram conformitatis, quâ veritas elucet, adjumento, res ex ſe mutuo intelligi. Eſt igitur veritas alia, ex qua *intelligimus*, **alia, quæ** *intelligitur ipſa : illa* principiorum, *hæc* nomine venit concluſionum. *Sed ipſa*, inquis, *principia, quæ ex ſe, neque ex alia re intelliguntur ulla,* Veritas principiorum, concluſionum.

ulla, veritatis proin titulum non merebuntur. Minime vero! Nam principia reſolvuntur in notiones, ſubjecti pariter ac prædicati, totidem velut partes, ex quarum conformitate mutua, ipſius propoſitionis claritas exſplendeſcit. Principia autem prima, non ex ſubjecto tantum & prædicato invicem conformi; ſed potius ex terminis identicis conſtant: v. g. gratia eſt gratia Rom. 11. v. 6. Concluſiones vero intelliguntur ex illa, quâ cum principiis nectuntur, conformitate.

§. 76.

à DEO oritur

Quemadmodum vero tanta ac talis rerum quarumlibet conformitas, neque concipi, neque exſiſtere poſſet, niſi per infinitam ſapientiam immenſi Numinis, omnia **ordine**, **menſura**, **pondere**, & deſtinata, & facta, & intellectus ineffabilis vi comprehenſa fuiſſent; quum remota ſapientia veritas tollatur omnis, nec quidquam amplius ex altero intelligi, ob difformitatem, poſſit: ita quoque indubium, & exploratum eſt, ſuam ab omni veritate, quæcunque tandem excogitari poteſt, originem referri ad DEum.

§. 77.

probatur

Eò ſane ſpectavit Plato, qui veritatem à DEO profectam, nec eâ hominum generi quidquam melius tributam fuiſſe, dictitavit, teſte Plutarcho, de adulatoris & inimici diſcrim. T. II. oper. edit. Xyland. p. 49. lit. A. ubi hæc leguntur verba: *εἰ δὲ θεῖον ἡ ἀλήθεια, καὶ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς, πάντων δὲ ἀνθρώποις ἀρχὴ*

καλὰ Πλάτωνα &c. *ſi divina eſt veritas, omniumque bonorum & Diis & Hominibus principium, ut Plato vult &c.*

§. 78.

Cum igitur ſine ſapientia, quæ amorem veritatis complectitur omnis, orator intelligi nequeat; facile perſpicies, quia immenſus veritatis oceanus eſt, quam late diffundatur oratoria, quam ſit ambitûs infiniti, quantum abſit, ut ex perſonis à DEO conditis, ſive in cœlo, ſive in terra, cum nemo in omnibus ſapiat, quæquam perfecti laudes oratoris conciliare ac tueri poſſit. immenſus oratoriæ ambitus inde ſequitur

§. 79.

Cicero ſummus orator, in tam ampla oratoriæ idea formanda, ſolus ut non ſim, qui tam auguſto facundiam conceptu metiatur, viam monſtravit, reique totius aperuit majeſtatem. Verba ejus cedro digna, ſi lectori videbitur, pleniora dabo, ex oratore L. I. edit. Schrevel. 1687. p. 78. column. A. Ciceronis

§. 80.

Quamobrem ſi quis univerſam, & propriam oratoris vim definire, complectique vult, is orator erit mea ſententia, hoc tam gravi dignus nomine, qui, quæcunque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, PRUDENTER (en ſapientiæ ideam, à nobis traditam) & COMPOSITE (hæc notio ex ornatûs conceptu fluit, quem nos requirimus) & ORNATE (hoc ipſiſſimum, quod injungimus) & MEMORITER (tantum quisque ſcimus, quantum memoria teſtimonium

tenemus,

tenemus, idque ſapientiæ eſt) *dicat, cum quadam etiam actionis dignitate*, (hæc ad ornatum, quem præſcribimus, pertinet.)

§. 81.

continuatum Pergit deinceps Tullius: *Si cuipiam nimis infinitum videtur* (adtendat lector animum, ad auguſtam eloquentiæ, quam Tullius mente concepit, ideam) *quod ita poſui:* QUACUNQUE DE RE, *licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat, atque amputet: tamen illud tenebo ſi, quæ cæteris artibus, aut ſtudiis ſita ſunt, orator ignoret, tantumque ea teneat, quæ ſint in diſceptationibus, aut in uſu forenſi: tamen his de rebus ipſis ſi ſit ei dicendum, cum cognoverit ab iis, qui tenent, quæ ſint in quaque re, multo oratorem melius, quam illos ipſos, quorum eæ ſunt artes, dicturum.*

§. 82.

ibitur per veritatis claſſes Quoniam igitur eloquentiæ veritas ſubjecta omnis eſt, quam dicendo ſive exornat, ſive, pro re nata, exornare ſtudet: ibimus per aliquot veritatis ſingulares claſſes, ut, quam ſparſis, per omne eruditionis cujuslibet regnum, radiis oratoria fulgeat, tanto quisque facilius intelligat.

§. 83.

veritas metaphyſica Veritatem in conformitate poſui, quâ ex ſe mutuo res intelliguntur. Illa igitur alicujus phænomeni, ſeu rei, conformitas cum ὀυσίᾳ, ob quam phænomenon hoc inſignitur nomine, adpellatur VERITAS METAPHYSICA.

§. 84.

§. 84.

Neque aliter hîc ſentiunt, etſi forte loquantur minus perſpicue, hujus diſciplinæ ſcriptores, non incelebres. Nam ſi veritas hujus generis, judice Weiſio, in metaphyſ. cap. 4. §. 1. p. 76. edit. 1703. *conformitas rei eſt cum intellectu* (ſive hominum ſive DEI) ut rem pro tali agnoſcat, qualis eſſe videtur: quid aliud id ſignificat, quàm præſentis phænomeni conformitatem cum illa ἐσίᾳ, cui hoc idem nomen impoſitum eſt, exploratam perſpectamque eſſe? consenſus ſcriptorum

§. 85.

Illi v. g. Ancillæ, de qua Actor. 12. v. 13. Petri Apoſtoli perſona inopinato obverſata fuit, quam alii Angelum ejus eſſe judicarunt. v. 15. Quæſtio tum erat, *ſitne illud phænomenon, ſeu quod Ancillæ obverſabatur*, VERUS: *Petrus, nec ne?* Vere hæc metaphyſica fuit. Quis, quæſo, quæſtionis erat ſenſus? Nullus profecto, præter ſequentem: an, quidquid de Petri ἐσίᾳ cognitum aliâs erat, in præſens caderet phænomenon? Quod ſimul omnino, atque probatum erat, VERUM unà Petrum præſto eſſe, condocefecit. exemplum ſcripturæ

§. 86.

Veritas igitur hujus ordinis in conformitate phænomeni cum ἐσίᾳ, quæ tale nomen geſtat, quale phænomenon mereri putamus, collocanda eſt: quâ, ſi nulla orator diſciplina indigeret, (indiget autem omnibus) carere nullo unquam tempore poteſt. Etiam hæc veritas oratori ſubjecta.

§. 87.

§. 87.

probatur Quoties de vanitate Idolorum, quam ſibi operam Minucius Felix, & Cæcilius Cyprianus, expediendam ſumſere; de unitate ac Trinitate DEI, quod innumeri exequuti ſunt; de neceſſitate fati, ſi quod eſt; quam litem perorandam Tullius ſuſcepit, (recentiores, quorum numerus iniri nequit, prætereo) de divinat L.I. edit. Gothofr. T.IV. p. 377. lit. C. & alibi, de cauſſa & effectu, in præſentis exemplo mundi; de aliis metaphyſicæ pluribus argumentis verba facienda ſunt: toties illius neceſſitas ſtudii, quantopere oratorem obſtringat, plus, quam ſatis eſt, cognoſcitur.

§. 88.

ex recentiorum inſtituto Ut omittam ea, quæ recentiores hodie auctores elucubrârunt, de anima, de mundo, ejusque legibus, de miraculis, de ſpiritu, de DEO: quæ graviſſimi ponderis argumenta omnia, uti hoc tempore ad metaphyſicam revocata videas: ita non dubium eſt, quin in ea orator dicendo incidere, nec eorum commode notitia carere poſſit.

§. 89.

Veritas phyſica Sed proferamus pedem ad reliquarum veritatum peramplas claſſes. Veritas phyſica, quâ, an corpora extra nos reapſe exſiſtant, quibusque contineantur cauſſis, exploratum habetur, quid, amabo, aliud eſt, aut eſſe poteſt, quam conformitas φαινομένυ cum facultate ſentiendi, quæ afficitur?

§. 90.

Quæcunque enim mutatio, quicunque caſus ſenſui reapſe obverſatus fuiſſe agnoſcitur; eum nos verè exſtitiſſe, nec vano nos luſiſſe glaucomate, judicamus. explicatur

§. 91.

Bene in hanc rem Leibnitius, in eleganti libello, quem *novam methodum diſcendæ docendæque Jurisprudentiæ* inſcribit, ineuntis ætatis tempore, publicæ luci expoſito, anno 1667. ubi p. 22. 23. *Quidquid habet qualitates ſenſibiles, ſeu quidquid ſenſibile, illud dicitur ens. Et hæc eſt perfectiſſima entis definitio. Quoties enim probare volumus aliquid eſſe, probamus ex eo, quia nos, vel alii ſenſerint, aut ipſummet ſenſione immediata, aut ſaltem aliud, quod ſine ipſo eſſe non poteſt, quæ eſt ſenſio mediata.* probatur teſtimonio

§. 92.

Scio equidem, hoc argumento contra eos, qui corpora negant exſiſtere, quos idealiſtas vocant, pugnari non poſſe; aliis potius, quæ tamen parabilia ſunt, armis debellandos: ſufficit autem, hôc veritatem charactere ab omnibus internoſci, qui nimis ſapere non ſtudent veſano auſu. occurritur dubio

§. 93.

Sed, ut in phyſica, corpora vere exſiſtere, judicamus ex ſenſu: ita ipſius ſenſus veritatem, ne quando eam cum ſomniis, queis ſentire plura falſo nobis videmur, confundas, novâ ideâ juvabit diſcernere. altera veritatis phyſicæ ſpecies

§. 94.

Vere nimirum ſenſimus, quidquid ſenſimus, definitur

quod ad motûs leges adtemperatum fuiſſe cognoſcitur. Eſt igitur hæc altiſſimæ indaginis veritas φαινομένων conformitas cum legibus motus.

§. 95.

explicatur Qui, quæ ſibi obverſantur, motûs conformia legibus eſſe cognoſcit, is & de veritate ſenſus perſuaſiſſimus eſt, & obverſatarum rerum cauſſas, quas ad leges exegit motus, illuſtri cognitæ veritatis phyſicæ argumento, perſpectas habet.

§. 96.

probatur teſtimonio Eodem κειμηλίῳ Lucian: in Philopſeud. T.II. p. 353. edit. Joh. Benedict. hujus ordinis veritatem diſcrevit. Poſtquam enim de vanitate monſtrorum ac dæmonum in antecedentibus diſſeruerat, tandem in hæc verba deſinit: ἀλλὰ θαῤῥῶμεν ὦ Φιλότης, μέγα τῶν τοιούτων ἀλεξιφάρμακον ἔχοντες καὶ τὴν ἀλήθειαν καὶ τὸν ἐπὶ πᾶσι λόγον ὀρθόν. ᾧ χρωμένους ἡμᾶς οὐδὲν οὐ μὴ ταράξει, τῶν κενῶν καὶ ματαίων τούτων ψευσμάτων.

§. 97.

latine reddito Quod Johannes Benedictus ita interpretatur. *At bono animo ſimus, amice! cum magnum adverſus hujusmodi res remedium habeamus,* VERITATEM & RECTAM *in rebus omnibus* RATIONEM: *qua ſi utamur, nullis hujusmodi vanis ſtultisque mendaciis turbabimur.*

§. 98.

applicatur teſtimonium Ne φαντάσμασι, vanisque ſpectrorum ludibriis perterrefieret quisquam, ut rationem veritatemque adhibeamus, auctor eſt: tum enim quod

quod non ſenſerimus nos agnituros exiſtimat, quæ nobis falſo ſenſiſſe, viſi ſumus. Quid autem eſt ratio, quam illa facultas, *per quam quis conſequentias cernit, cauſas rerum videt, earum progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit, atque annectit futuras*, uti Cicero habet de offic. L. I. c. 3. §. 4. qua facultate qui utitur, facile ex conformitate ac nexu phænomenων, tum inter ſe, tum cum legibus motus, quid revera exſiſtat, quid nonniſi per ſomnium exſiſtere falſo putetur, conjiciet.

§. 99.

Quia vero legum motûs frequentem in definienda veritate phyſica feci mentionem, & vero leges motus jam confuſe percipiuntur, id eſt, ut tales quas non internoſcimus niſi in obvio exemplo; jam vero repræſentantur diſtincte ut generales à φαινομένων ordine regulas ſeparaveris, ad quas ordo ille omnis, pulcritudine ſua omni referatur: neceſſe etiam eſt, duplicem veritatis phyſicæ cognitionem dari, aliam, quæ cadit in homines rerum naturalium ſtudio non occupatos; aliam, qua gaudent curioſi naturæ ſcrutatores. duplex veritatis phyſicæ cognitio

§. 100.

Dum noctu cubitum abis, dulci ſopitus ſomno, ſæpe tibi repente in loca translatus remotiſſima videris, indeque iterum alio, alioque transvectus: cum tamen, excuſſo ſomno, ex præſenti corporis tui ſitu, non difficulter ſentias, te, ob leges motus, per iſta, quibus exemplum prioris

tibi interfuiſſe es viſus, vagari loca non potuiſſe: idque tu certo credes, etiamſi legum motus, uti hodie traduntur, prorſus expers ignarusque exſiſtas.

§. 101.

ſolvitur dubium

Etiamſi enim ſomnia dari poſſint, quæ per omnem noctem, varia repræſentent ordine exactiſſimo: tamen ille ſaltus, quo ordinem eorum φαινομένων miſere interrumpunt, quæ vigilantium eſſe dicimus, nempe ſub initium ac finem ſomni; quia in his phænomenis ex antecedentibus ſubinde conſequentium ratio reddi poteſt, in ſomnio reddi non poteſt: invictum argumentum præbet, quæ ibi repræſententur re exſiſtere vera, quæ in ſomno obverſantur, non item.

§. 102.

Phyſicæ cognitio oratori neceſſaria.

Sed quid tandem de noſtro oratore? Oportet eum veritates phyſicas non confuſâ tantum, ſed & diſtinctâ repræſentare animo notitiâ. Dubitas? At ſcrupulus facile eximi ſi videbitur, poterit: dummodo conſideres, ab oratore ſapientiam tolli non poſſe, quæ noſtra eſt idea, ſapientiam vero occupari, uti circa omnes, ſic maxime, circa naturæ veritates.

§. 103.

probatur teſtimonio

Præclare Tullius, de finibus bonorum & malorum, edit. Schrev. p. 1082. column. B. *Phyſicæ quoque*, inquit, *non ſine cauſſa tributus idem eſt honos: propterea quod qui convenienter naturæ victurus ſit, ei & proficiſcendum eſt ab omni mundo, & ab ejus procuratione.*

Nec

Nec vero poteſt quisquam de bonis aut malis vere judicare, niſi omni cognita ratione naturæ, *& vita etiam Deorum, & utrum conveniat nec ne natura hominis cum univerſa: quæque ſunt vetera præcepta ſapientium, qui jubent,* TEMPORI PARERE, & SEQUI DEUM, & SE NOSCERE, & NIHIL NIMIS.

§. 104.

Clariſſime vero ſummus orator, quantopere eloquentibus phyſicæ cognitio neceſſaria ſit, in oratore, T. I. edit. Gothofred. p. 368. lit. B. C. D. ſignificat his verbis: *habeat,* (orator) *omnes philoſophiæ notos & tractatos locos.* Eundo deinceps per varias philoſophiæ partes, tandem ſubjicit: *de materia loquor orationis etiam nunc, non ipſo de genere dicendi. Volo enim prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quàm cogitet, quibus verbis, quidque dicat, aut quomodo, quem etiam, quo grandior ſit, & quodammodo exceľſior, ut de Pericle dixi ſupra,* NE PHYSICORUM QUIDEM ESSE IGNARUM VOLO. Hactenus Cicero. alio luculentiori

§. 105.

Verum ad reliqua progrediendum. Incidimus nunc juſto ordine in veritatem hiſtoricam, quæ nihil aliud eſt, quàm CONFORMITAS NARRATIONIS CUM IDONEI TESTIS RECENSU. Teſtibus igitur idoneis nititur hîc, quidquid vere cognoſcimus: neque ſine illis quidquam datur, dignum cui adſentiare, præter fabulas, commenta, mendacia, fraudes, ac ludibria. Veritas historica

 §. 106.

§. 106.

Idoneus teſtis *Idoneus autem* teſtis eſt, quem non deſtituit veritas phyſica, quam paulo ante laudavimus. Oportet quippe illum res, quas recenſet, ſive ſenſu ipſum αὐτοπροσώπως percepiſſe, neque meris fuiſſe luſum φαντάσμασι; quo in genere plerumque tum peccatur, quum dæmones his illisve locis adparuiſſe, fama percrebeſcit: ſive ex illis vere rem factam cognoviſſe, qui modô, quem dixi, res ipſi ſenſu perceperunt, iisdemque actis interfuerunt αὐτόπται.

§. 197.

Hujus veritatis utilitas Dici vix poteſt, quantum, hæc ſequi, in omni vita, referat: ne hiſtoriarum recenſus, cum fabulis permixti, ſtultitiæ potius quam ſapientiæ, uti eſſe debent, per exempla demonſtratæ, theatrum repræſentent. Quantum autem hæc res difficultatem habeat, illi perſentiſcunt, qui in hiſtoriarum campis ex officio decurrunt.

§. 108.

difficultas varia Jam enim videas teſtes aut adeſſe nullos, aut non ſatis graves, fideque dignos, aut non tam multos quantum ſatis eſt, aut variantes in rei factæ recenſu, aut contraria, de iisdem rebus geſtis, tradentes, aut ſeculo, quo res geſta, multo inferiores, aut perfidos, qui data opera & deſtinato conſilio, rerum actarum memoriam interpolare conantur, aut oſcitantes, nec ſatis adtentos, quibus imponi facile potuit,

aut

aut quibus tale quidem exprobrari nihil poteſt, quorum tamen voluntas, de rebus remotiſſimis vera perhibendi teſtimonia, explorari nondum potuit, aut, ſi nihil horum deſit, tales, qui ob infinitam actionum, quibus interdum res geſta unica continetur, multitudinem, ne ſummo quidem ſtudio, evolvere, ac reſciſcere omnia, quiverunt.

§. 109.

Herodotum ſane, pauciſſima ut exempla tangam, Theopompus fabularum ſcriptorem adpellat, teſte Strabone, L. I. p. 74. edit. Joh. Wolters, anno 1707. his verbis: Θεόπομπος δὲ ἐξομολογεῖται φήσας, ὅτι καὶ μύθους ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐρεῖ κρεῖττον, ἢ ὡς Ἡρόδοτος, καὶ Κτησίας καὶ Ἑλλανικός. *Theopompus quidem diſerte profitetur, ſe in hiſtoria fabulas narraturum rectius, quam fecerint Herodotus, Cteſias, Hellanicus. &c.* probatur exemplis

§. 110.

Strabo regiones Indicas narrat, quas, etſi plures obierit terras, ut ex Libro II. conſtat, monente Voſſio, de hiſtoricis græcis, L. II. cap. 6. p. 186. edit. 1651. nunquam tamen adiit. Quis autem de rebus remotiſſimis ſcribentem, licet non magnopere ſuſpectum, ſæpe tamen falli, non credat: cum ipſe Strabo Libr. XI. citat. edit. p. 774. ſcribit: τὸ δὴ πόῤῥω δυσέλεγκτον. *Difficulter refutantur, quæ narrantur de longe diſſitis. In die Ferne iſt gut lügen.* alia exempla

§. 111.

Qua non impudentia uſus eſt, famoſiſſimus

Annii Viterbienſis

impoſtor, Annius Viterbienſis, cujus laudes Bayle canit, in artic: (Nannius) T. III. Dictionaire hiſt. & Crit. p. 453. 454. edit. III. In qua non caligine verſantur res monachorum Chaldæorum ex veteri, & res medii ævi, ex novo Teſtamento?

§. 112.

exempla à rebus hodiernis

Quem fugit, ne ea quidem, quæ hodie geruntur, ob deſtinationum arcanos ſcopos, plena, nec unquam falſis interpolata cognitione, poſſe comprehendi? Quæ ratio Leibnitium impulit, ut in præfatione ad cod. Diplom. hæc plane egregia, nec à me præterunda ſilentio, insereret:

§. 113.

Leibnitii teſtimonium

Duæ autem ſunt hiſtoriæ leges, ſed quæ æqualiter obſervari ambæ in utroque hiſtoriæ genere non poſſunt. Nam hiſtoriæ publicæ eſt, NIHIL FALSI DICERE; Arcanæ; præterea NIHIL VERI NONDICERE.

§. 114.

continuatur

Sed ita poſtulat ratio rerum: & quemadmodum in forenſi controverſia multa per litigantes & ſolicitatores fiunt apud judices; quæ nuſpiam apparent in ſcripturis, neque in acta referentur; cum & feminarum blanditiæ & auri ſplendor ſæpe plus legibus ac teſtimoniis valeant: ita pleraque latent in potentum actis, cauſſisque negotiorum; præſertim cum ſæpe exigua, & inobſervata majorem opinione vim habeant.

§. 115.

continuatur

Sic forte vox falſior relata, vel ficta, Princi-

pis

pis aut rerum miniſtri animum pupugit, acu-leumque reliquit; unde occulti ſtimuli, odiorum & vindictæ, quæſitis in ſpeciem coloribus velati. Et non raro magnos rerum motus excitat generoſum pectus, ideo tantum, ut neſcio quid refutet, quod in ſui contemtum trahebat.

§. 116.

Sæpe etiam unam noctem principis male dormientis & inde conſilia acerba, ex præſenti animi vel corporis habitu capta, mox multa miſerorum millia ſuo ſanguine luerunt. continuatur

§. 117.

Interdum muliebris impotentia maritum vel amatorem impellit: ſæpius affectus miniſtrorum in dominos contagio transferuntur. continuatur

§. 118.

Et fatendum eſt, ut in ſcenico opere machinas adparere indecorum eſſet; ita hiſtoriam aliquando nonnihil de pulcritudine amiſſuram, ſi cauſſæ veræ ſemper cernerentur, adpareretque heroas ſubinde puerili ſtudio, aut muliebri libidine, aut etiam ſervili cupiditate egiſſe. continuatur

§. 119.

Scilicet hominum geſta legimus, non Deorum; & ſufficit ad decus ipſorum & documenta poſterorum, multa graviter & fortiter & ſapienter acta extare, prava exempla interdum rectius ignorantur. continuatur

§. 120.

Quibus tandem verbis extremis aperte Vir celebris ſignificat, non eſſe, cur, ob tantas hiſtoricæ veritatis indagandæ difficultates, ſive in- explicatur

cidamus in dubitandi de omnibus proclivitatem, ſive in illius ſtudii colendi torporem ac deſidiam. Sufficit quasdam à nobis hiſtoriæ veritates cognoſci poſſe, omnes ut cognoſcantur, humanæ vitæ conditio refragatur.

§. 121.

applicatur ad oratorem

Itaque & oratoribus id negotii datum eſſe intelligitur, ut ſibi hiſtoriæ ſtudium habeant longe commendatiſſimum. Quamobrem Cicero oratori auctor eſt, ut in ſe hac parte deſiderari nihil committat, verbis ſequentibus: *tenenda præterea eſt omnis antiquitas exemplorumque vis; neque legum aut Juris civilis ſententia negligenda eſt.* de oratore L. I. p. 74. edit. Schrev. column. B.

§. 122.

cui hiſtoria neceſſaria

Alibi, nempe de oratore L. II. p. 97. edit. Schrev. col. B. ſuos reprehendit cives, qui oratoriam ſoli foro intulerint; cum græci, à forenſi ſtrepitu remoti, eloquentiam in ſcribenda exercuerint hiſtoria.

§. 123.

probatur teſtimonio

Verba hæc ſunt: *nemo enim ſtudet eloquentiæ noſtrorum hominum, niſi ut in cauſſis, atque in foro eluceat: apud Græcos autem eloquentiſſimi homines, remoti à cauſſis forenſibus, cum ad ceteras res illuſtres, tum ad* SCRIBENDAM HISTORIAM maxime ſe applicaverunt.

§. 124.

continuatio

Namque Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornavit, in cauſſis nihil omnino verſatum

ſatum eſſe, accepimus. Atqui tanta eſt eloquentia, ut me quidem, quantum ego græce ſcripta intelligere poſſum, magnopere delectet.

§. 125.

Et poſt eum Thucydides omnes dicendi artificio, mea ſententia, facile vicit: qui ita creber eſt rerum frequentiâ, ut verborum prope numerum ſententiarum numero conſequatur, ita porro verbis aptus, & preſſus, ut neſcias UTRUM RES ORATIONE AN VERBA SENTENTIIS ILLUSTRENTUR. continuatio

§. 126.

Quamvis enim in rerum geſtarum pertexendo recenſu nimia ſtyli eloquentioris cura, facile, delectandi lectoris cauſſa, multa paſſim rebus admiſcere, & ipſum narrationis filum adſcitis, nec nativis, coloribus interpolare, falſisque non paucis expoſitionibus, hiſtoriam refingere poſſit; quod Herodoto eveniſſe, Straboni eſt obſervatum, p. 74. edit. J. Wolters: οὐ γὰρ κατ' ἄγνοιαν τῆς ἱστορίας ὑποληπτέον γενέσθαι τοῦτο, ἀλλὰ τραγῳδίας χάριν: *non enim ignoratione hiſtoriæ dictum ſuſpicari debes, ſed tragicæ amplificationis cauſſa:* & paulo ante de prorſis ſcriptoribus: Φαίνεται γὰρ εὐθὺς ὅτι μύθους παραπλέκουσιν ἑκόντες, οὐκ ἀγνοίᾳ τῶν ὄντων ἀλλὰ πλάσει τῶν ἀδυνάτων τερατείας καὶ τέρψεως χάριν: *ſtatim enim adparet, eos fabulas admiſcere, non ob verorum ignorationem, ſed delectionis cauſſa, monſtra & alia, quæ eſſe non poſſunt, fingentes:* tamen, ſi polleat orator prudentia, eloquentiam in ſcribenda adhibebit hiſtoria, solvitur dubium

ſtoria; non tam ad fingenda, quæ haud facta ſunt, quàm, quæ facta ſunt, vivis imaginibus effingenda.

§. 127.

dubium

Falſos quoque recenſus, ſtylo concinno elaboratos, gratiam habere nonnullam, & ad aſſenſum lectores, vel imprudentes, allicere, cum per ſe veriſſimum ſit, tum illo Plutarchi teſtimonio, in libro, *ne ſuaviter quidem vivi poſſe ſecundum Epicuri decreta*, Tom. II. op. edit. Xyl. p. 1092. lit. F. perſpicue cognoſcitur.

§. 128.

à loco Plutarchi

Verba hæc ſunt: Δι ἣν ἐδὲ τὸ ψεῦδος ἀμοιρεῖ χάριτες ἀλλὰ καὶ πλάσμασι καὶ ποήμασι τῦ πιςεύεσθαι μὴ προσόντος, ἔνεςιν ὅμως τὸ πεῖθεν. *qua voluptas etiam falſis aliquam conciliat gratiam, ut cum figmentis & poëmatis fidem non adhibeamus, tamen inſit his quadam perſuadendi vis.*

§. 129.

reſpondetur

Interim tamen non eſt, cur inde arguas, &, ſive oratoris nullas in hiſtoria partes eſſe, cauſſeris, ſive hujus ſtudio illi utilitatem afferri, neges: in contraria ſane omnia abiit Cicero, qui de oratore L. II. p. 96. edit. Schrev. column. B. ita diſſerit:

§. 130.

auctoritate Ciceronis

Hiſtoria vero, teſtis temporum, lux veritatis, vita memoria, magiſtra vita, nuntia vetuſtatis, quâ voce alia, niſi oratoris, immortalitati commendatur? Nam ſi eloquentiæ, ſicut reliqua-

reliquarum rerum ; fundamentum ſapientia, ut alibi Tullius ſcribit, ad M. Brut. Orator. p. 169. edit. citat. & vero ex hiſtoria, tanquam *vitæ magiſtra*, ſapere plurimum liceat, quidni orator in hujus ſtudium, incumbere toto pondere debeat?

§. 131.

Quod cum ita ſit, nec quidquam horum, niſi à cæco, vocari in dubium poſſit; tandem, absque ulteriori opera, ex ſe intelligetur, inter artes ac ſcientias nullam exſiſtere, quin, eam ſibi diſcendam eſſe, cui eloquentia cordi eſt, quantum fieri poterit, agnoſcat. concluſio

§. 132.

Sequitur nova veritatum, quas πρακτικὰς vocamus, claſſis: de qua ſane, ſi unquam valet, illud, quod in amicitiæ laudem Cicero ſcripſit, maxime mihi valere videtur. Ita enim ille de amicitia cap. 6. §. 8. p. 903. edit. Roth. Veritates πρακτικαί.

§. 138.

Amicitia, (diſciplina morum) *res plurimas* perutiles *continet : quoquo te verteris, præſto eſt, nullo loco excluditur : nunquam intempeſtiva, nunquam moleſta eſt : itaque non aqua non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quam amicitia*, (diſciplina morum, &, quæ illa continetur, veritate practica.

§. 134.

Veritas practica duplex eſt : alia ethica, alia moralis. Ethica quid quæſo eſt, quam conformitas orationis cum animi ſententia? Illum quippe ſenſu ethico veracem dicimus, in Veritas practica duplex

quem

quem propenſio cadit, cum animi deſtinationibus, cogitatisque, conformandi ſermonem.

§. 135.

veritas ethica vel rudibus in pretio

Maximi ſemper hanc fecere veritatem gentes, quas pro eximie barbaris habere ſolemus. Pudeat Chriſtianos, vinci à populis obſcuriſſimis, quorum tantus, in hujus ordinis veritatem, amor exſtitit, ut violantes eam graviſſime mulctarent.

§. 136.

probatur

Strabo de Jndis L. XV. p. 1036. edit. J. Wolters, 1707. ſequentia narrat: ἀλήθειαν δὲ ὁμοίως καὶ ἀρετὴν ἀποδέχονται. διόπερ οὐδὲ τῇ ἡλικίᾳ τῶν γερόντων προνομίαν διδόασιν ἐὰν μὴ καὶ τῷ φρονεῖν πλεονεκτῶσι & paulo inferius: ψευδομαρτυρίας δ' ὁ ἁλοὺς ἀκρωτηριάζεται.

§. 137.

Veritatem atque virtutem in pretio habent, Itaque ætati ſenum prærogativam nullam tribuunt, niſi prudentiâ ii excellant - - Qui falſus teſtis deprehenditur, extremis partibus corporis multatur. Hæc Strabo.

§. 138.

commendatur

Maximo hominibus ornamento eſt, quæ ab animo verba deſciſcere vetat, laudatiſſima veritas. Nec eſt quidquam ea homine dignius, nec ad fidem conciliandam, ſocialitatemque tuendam, adcommodatius.

§. 139.

teſtimonio Pythagoræ

Bene Pythagoras apud Ælian. var. hiſt. L. XII. cap. 59. p. 636. edit. Joach. Kuhn: Πυθαγόρας ἔλεγε, δύο ταῦτα ἐκ τῶν θεῶν τοῖς ἀνθρώποις δεδόσθαι

δέσθαι κάλλιςα, τό τε ἀληθεύειν, καὶ τὸ εὐεργετεῖν. καὶ προσετίθη, ὅτι καὶ ἔοικε τοῖς θεῶν ἔργοις ἑκάτερον.

§. 140.

Pythagoras dicebat, hæc duo divinitus hominibus data eſſe longe pulcerrima: veritatem amplecti, & aliis bene facere: & addebat: utrumque cum Deorum immortalium operibus comparari poſſe.

§. 141.

Eloquentiſſimus officiorum præceptor, Cicero, L. III. cap. 20. §. 12. ſuam mentem ita explicat: *cadit ergo in virum bonum mentiri, emolumenti ſui cauſſa, criminari, præripere, fallere? Nihil profecto minus.* Ciceronis

§. 142.

Pulcerrimæ laudi Attico Nepos ducit, quod hujus fuerit veritatis longe ſtudioſiſſimus. cap. 15. §. 1. *Mendacium neque dicebat, neque pati poterat - - - Quidquid rogabatur, religioſe promittebat: quod non liberalis, ſed levis arbitrabatur, polliceri, quod præſtare non poſſet.* Attici exemplo

§. 143.

Tanto igitur ornamento vacuum Oratorem eſſe poſſe putamus? ſane quanta pudoris, honeſtatisque vis, nos, ne nudi, per ſemitas, incedamus, retractat, ac deterret: tanta nos quoque, mendacia ut fugiamus, oris cordiſque diſſenſum ut evitemus, potentia animet, neceſſe eſt. Oratori neceſſaria

§. 144.

Quoniam Oratorem cum Quinctiliano, juxta §. 16. Verum *eſſe* bonum debere, jam ſupra argumentum ejus quod diximus

præcepimus; & vero, ſi Nigidium, apud Gellium noct. attic. L. XI. cap. II. p. 373. edit. 1556. audias, *vir bonus præſtare debet, ne mentiatur, prudens autem, ne mendacium dicat:* quantopere hæc oratori veritas cordi eſſe debeat, luculentiſſime cognoſcitur.

§. 145.

quæ porro ex Ethica ad oratorem pertineant? Sed non exhaurit hæc cura id omne, quod circa ethicam veritatem, oratori injunctum eſſe, ſentimus. Plus ultra nitendum eſt, majora præſtanda, & in id ipſi maxime incumbendum eſſe, ratio dictitat, ut veritatem ethicam in auditoribus conſequatur, i. e. ut, quæ auditores invito huc usque animo, quæ ſimulato, in ſpeciem duntaxat externam, præ ſe tulerunt, maximo veritatis ethicæ detrimento: id jam, facundiæ potentiâ excitati, lubenti ac ſincera mente, & amandum & agendum ſuſcipiant.

§. 146.

ardua ejus cura Arduum id eſt, fateor, negotium: ſed major ejus expediendi neceſſitas. Ethicam omnem, i. e. animi ad felicitatem regendi, prudentiam, non ſcientiâ tantum prælibatam, verſatamque, ſed uſu quoque & exercitatione perpetua cognitam habere oportet illum: quicunque orator in hoc genere elucere conſtituit.

§. 147.

probatur Nec equidem, ſummorum Virorum teſtimonio ac auctoritate deſtitutus, ita ſentio: qui rurſus Ciceronem (quis enim veterum eô major?) ſententiæ ducem ſequor. Verba ejus in orator: T. I. edit. Gothofr. p. 368. ita habent:

§. 148.

§. 148.

Habeat (orator) *omnes philoſophiæ notos & tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de caritate patriæ, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi, & erroribus, quæ ſæpe cadunt in cauſſas, ſed jejunius aguntur: nihil, inquam, ſine ea ſcientia, quam dixi, graviter, ample, copioſe dici, aut explicari poteſt.* teſtimonio Tullii

§. 149.

Quis non videt, Ciceronem, quum, quæ dicendi materia oratori ſuppetere debeat, ſignificaturus eſt, pleraque omnia allegare ea, quæ nonniſi ad ethicam referri ſolent ac debent? In quo quidem adeo ſuæ certus ſententiæ eſt, ut, cum vivendi ad Ethicæ normam, prudentia, ſecundum magnam partem, ex hiſtoria accendi poſſit, dicere paulo inferius, non dubitet: *neſcire autem, quid antea, quam natus ſis, acciderit*, ID EST SEMPER ESSE PUERUM. *Quid enim eſt ætas hominis, niſi quum memoria rerum veterum, cum ſuperiorum ætate contexitur?* explicatur, applicatur

§. 150.

Clariſſime vero, quanti interſit, animi in auditore motus, vel excitare, vel ſedare orator ut poſſit (quod munus utique ſine ethicæ adjumento haud quisquam expleverit unquam) in illo Tullius loco declarat, quem de oratore L. I. p. 74. edit. Schrev. column. B. invenias. teſtimonium apertius

§. 151.

ejus verba Verba hæc ſunt : *eſt enim & ſcientia comprehendenda rerum plurimarum, ſine qua verborum volubilitas inanis ac irridenda eſt* (advertant ad hoc , qui non tam pondere rerum quam verborum copia, & linguæ volubilitate eloquentiam metiuntur.)

§. 152.

continuantur *Ipſa oratio conformanda non ſolum electione, ſed etiam conſtructione verborum* : & NB. omnes animorum motus, *quos hominum generi rerum natura tribuit*, penitus perноſcendi, *quod omnis vis ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt*, mentibus *aut* SEDANDIS aut EXCITANDIS *expromenda eſt.*

§. 153.

concluſio. Cum affectus jam provocare, jam compeſcere, jam huc dirigere, jam aliò, manifeſtiſſimum ἠθικῆς πρἀξεως argumentum ſit; & vero, prius præſtare orator ut poſſit, tanti referre exiſtimet eloquentiæ romanæ princeps : quis mecum non intelligit, etiam in ethicæ regionibus, ſi alibi usquam, oratoribus & meti & ſeri?

§. 154.

Veritas moralis Altera veritatis practicæ ſpecies eſt illa, quam vocavimus moralem. Eſt autem veritas moralis, cogitati, verbi, facti conformitas cum lege. Vere bona illa ſunt; quæ cum lege conſentiunt.

§. 155.

ratio appellationis Hæc cauſſa eſt, quamobrem Spiritus S. peccata

cata mendaciorum titulo, & nominis quidem impoſitione juſtiſſima, diſcernere jubeat. Verba Apoc. 21. v. 27. hoc modo habent: καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς ἀυτὴν πᾶν κοινοῦν καὶ ποιοῦν βδέλυγμα καὶ ψεῦδος: *& non ingredietur in illam quidquid impurum eſt, aut abominandā deſignat; aut* MENDACIUM.

§. 156.

Qui huic veritati non ſtudet, illius actiones à lege abhorrent; is variæ turpitudinis tetro colore notatus, Numinis juſtam iram, bonorum quorumlibet odia, & magiſtratuum, ſi quos habet, pœnas meretur. rei ipſius neceſſitas

§. 157.

Et hâc veritate orator prius nihil, nihil antiquius habere debet. Oratoris quippe eſt, veri honeſtique amorem perſuadere audientibus. At vero, ſi alieniorem in illam rem animum facto declarat, cujus tamen auditori ſtudium eſt commendaturus; ſi ſe in illo frigere ſignificet ipſo opere, cujus auditores amore ut ardeant, efficere cupit; ſi ſe ab eo diſſentire, actionibus teſtetur, cujus perſuaſionem inſtillare aliis connititur: quem, quæſo, conſequetur effectum? probatur

§. 158.

Siſtat igitur in ſe ipſo orator moralis exemplum veritatis, nec quidquam deſignet, cujus exemplo fidem, verbis tantoperè neceſſariam, labefactet. Magna verborum vis eſt, exemplorum autem maxima. monitum pro oratore

§. 159.

Perdocte Senec: epiſt. 6. edit. Morell. in fol. p. 166. probatur teſtimonio

p. 166. Plus *tamen tibi viva vox & convictus,* QUAM ORATIO, *proderit. In rem præſentem venias oportet. Primum quia* HOMINES AMPLIUS OCULIS QUAM AURIBUS CREDUNT, *deinde quia* longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla.

§. 160.

applicatur Si verbis efficaciora exempla ſunt, qui orator exemplo negat, quod aliis perſuadere verbo ſtudet: quo ſucceſſu putas vel maximam ab ipſo eloquentiam adhibitum iri?

§. 161.

novum teſtimonium Placuit, quod Plutarchus, de virtutibus mulierum, T. II. op. ed, Xyl. p. 243. lit. A. ſcribit: *εἰ δὲ τῷ πείθοντι καὶ τὸ τέρπον ἔνεστι φύσει τοῦ παραδείγματος, οὐ φεύγει χάριν ἀποδείξεως συνεργὸν ὁ λόγος.*

§. 162.

applicatur *Si tamen exemplorum hæc eſt natura, ut perſuadendo ſimul oblectent, oratoria non abhorrebit à venuſtate demonſtrationem adjuvante.* Ex his enim elucet, quanto omnes exſiſtamus procliviores in ſequenda præcepta viva, quàm ea, quæ ex ore prodeuntia, ni in adtentum ac docilem incidant, in auras evaneſcunt.

§. 163.

conſenſus Juvenalis Quod de parentibus Juvenalis cecinit, à quibus ad optimorum præceptorum, exemplorumque typum, formandi liberi ſunt, caveant nempe,

pe, ne vitæ improbitate deſtruant, quod iverint præceptis adſtructum : id oratori, ob ſimilitudinem cauſſæ, perpetuo obverſetur neceſſe eſt. Vid. Sat. XIV. vers. 37. ſeqq.

Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt,
Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abſtineas igitur damnandis : hujus enim vel
Una potens ratio eſt, ne crimina noſtra ſequantur
Ex nobis geniti : quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes ſumus, & Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque ſub axe.

adde 1. Petr. 3. v. 1.

§. 164.

Sequitur nunc nova veritatum claſſis, oratori commendanda magnopere. Logicam vocare poſſis, quam qui negligit, in ipſa luce caligat. Logica veritas

§. 165.

Eſt autem logica veritas CONFORMITAS IDEÆ CUM REBUS, QUAS REPRÆSENTAT. definitur

§. 166.

Quidquid intellectui noſtro objicitur, ſi curatius perſpici debeat, inexhauſtum rerum conſiderandarum, cum quibus profundiora perveſtiganti, connexum eſſe deprehenditur, βάθος aperire ſolet, ac velut oceanum. veritatis hujus amplitudo

 §. 167.

§. 167.

adtendatur ad hoc

Quod βάθος cum intellectui pateat divino, ſecundum maxima pariter ac minima, quibus ſingulis ordinatiſſime compoſitum eſt; emergit primo illa veritas, quam objecti dixeris, immenſæ amplitudinis, contradiſtinguenda illi, quàm §. 165. finivi, quæque hominis, ſeu DEI, tanquam ſubjecti, eſt; deinde efficitur, ut, quia in veritate objecti infinita ſimul intelligentiæ hominum objiciuntur, veritas objecti à mortalibus non obtineatur, niſi in tanta rerum obverſantium multitudine omnia ſeorſum ſpectantes, tandem particulares nexus ordinesque, quibus mutuo ſibi res conformantur, ideoque adtemperantur ad recipiendam veritatem, alias ex aliis per partes luſtrent, majoremque identidem ſui conceptûs cum repræſentatis pariant conformitatem.

veritas eſt vel in objecto, vel in ſubjecto

§. 168.

logicæ veritatis adjumentum diſtincta cognitio

Quo diſtinctior igitur noſtra cognitio eſt in luſtranda veritate objecti, per varias, quousque licet, partes, eo major naſcitur ideæ cum repræſentatis conformitas, eo illuſtrior igitur evadit Veritas ſubjecti.

§. 169.

illuſtratur

Animum hac occaſione ſubit, quod pictor quiſpiam apud Plutarchum ingenioſe dicere ſolitus eſt, de eorum diſcrimine, qui rudi, aut perito judicio, pictas internoſcere tabulas cupiunt, in libro de Socratis genio T. II. p. 575. litt. A. & B.

§. 170.

§. 170.

Ἔφη γὰρ ἐοικέναι τοὺς μὲν ἰδιώτας καὶ ἀτέχνους loco
θεατὰς ὄχλον ὁμοῦ πολὺν ἀσπαζομένους τοὺς δὲ quodam
κομψοὺς καὶ φιλοτέχνους, καθ᾽ ἕκαστον ἰδίᾳ τῶν ἐντυγχανόντων προσαγορεύουσι. τοῖς μὲν γὰρ οὐκ ἀκριβὴς ἀλλὰ τύπῳ τινὶ ἀμόρφῳ μόνον ἡ τῶν ἀποτελεσμάτων σύνοψις. τοὺς δὲ τῇ κρίσει κατὰ μέρος τὸ ἔργον διαλαμβάνοντας, οὐδὲν ἀθέατον οὐδὲ ἀπροσφώνητον ἐκφεύγει τῶν καλῶς ἢ τοὐναντίον γεγονότων.

§. 171.

Ajebat enim rudes & artes ignaros ſpecta- Plutarchi
tores ſimiles eſſe eorum, qui magnam ſimul turbam ſalutant: ſcitos autem & artificii ſtudioſos eorum, qui ſingulatim obvios compellarent. Illos nimirum non exacte in artificum opera inſpicere, ſed informatam quandam eorum conſpicere imaginem: hos judicio partes operis perluſtrantes, nihil inſpectatum nihil non obſervatum relinquere eorum, quæ vel bene vel male facta ſunt.

§. 172.

Nimirum ut ille, qui maximam in foro ho- explica-
minum frequentiam, uno conſpectu, inter tranſ- tur
ſeundum, contuetur, ejusdemque nonniſi confuſam animo formare ideam poteſt, imaginem concipit non exactiſſime cum illa multitudine conformatam: ita, qui res obvias tantum obiter, & vix dum, in toto ſuo ambitu, ab aliis internoſcit; veritate logica quidem afficitur, ſed gradu minore, quæ conformitatis, ob quam veritas exiſtit, parum adhuc habet.

§. 173.

à contrario

Contra, qui in tanta, ſi fieri poteſt, multitudine, vultus omnium, familiares ſibi ſeorſum reddit, eorumque varios nexus, fata, characteres paulatim ſibi perſpectos facit: eum neceſſe eſt, plus cognoſſe veritatis, ideasque nanciſci, quæ cum rebus, quæ repræſentandæ ſunt, multo habeant majorem conformitatem, in qua veritas ſita omnis eſt.

§. 174.

Logica veritas oratori commendanda

Quid igitur de oratore, veraſne expedit illi animo agitare ideas, an vero parum refert, quibuscunque erroribus, modo verborum colore amœno tinctis, auditorum animos occupare ſtudeat?

§. 175.

probatur

Neſcio an ſint ulli, fuerintne olim quiquam, qui ornate decipi, quam pulcre doceri malint? Tanti veritatem judico, ut illam nudam licet, nec verborum ſplendore ſuperbientem, faciam majoris, quam errores phalerato dicendi genere, & maxima verborum pompa cohoneſtatos.

§. 176.

teſtimonio Minucii Felicis

Summo putamus in pretio habendam eſſe facundiam, tum quum veritati inſervit. Ut primum vero illa ſe ad hujus inimicam, quæ erroris nomine venit adplicat, faciendum arbitramur cum Minucio Felici, in Octavio, in quo, cap. 16. §. 9. p. 48. edit. Cellar. ſequentia occurrunt:

§. 177.

quod recitatur.

Nihil itaque indignandum vel dolendum, ſi

quicun-

quicunque de divinis quærat, ſentiat, proferat; quum non diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas requiratur: ATQUE ETIAM QUO IMPERITIOR SERMO, HOC ILLUSTRIOR RATIO EST, *quoniam non fucatur pompa facundiæ & gratiæ, ſed, ut eſt, recti regula ſuſtinetur.*

§. 178.

Non habeo iterum hac parte locupletiorem teſtem, fide, apud lectores, digniorem, quàm dicendi principem, Tullium, qui logicæ uſum in oratoria, & neceſſarium eſſe præcepit, & ipſe experiundo toties cognovit. aliud teſtimonium

§. 179.

Ita quidem ille in orator: T. I. edit. Gothofr. p. 367. lit. B. C. *eſſe igitur perfecte eloquentis puto, non eam ſolum facultatem habere, quæ ſit ejus propria fuſe lateque dicendi, ſed etiam vicinam atque finitimam,* DIALECTICORUM SCIENTIAM ASSUMERE. Ciceronis

§. 180.

Quanquam aliud videatur oratio eſſe, aliud diſputatio, nec idem loqui eſſe, quod dicere: attamen utrumque in diſſerendo eſt. Diſputandi ratio & loquendi Dialecticorum ſit, oratorum autem dicendi & ornandi. continuatur

§. 181.

Qui, quæ rhetorica de inveniendo ac diſponendo tradit, accuratiori mentis trutina ponderat, quum ex logicis deſumta cogitatis pleraque ſunt: is, ſi vel difficillimus ſit, imperare tamen ſibi non poterit, quin, hoc argumento novum argumentum

compulſus, tandem fateatur, LOGICAM EX ORATORIA TOLLERE, PERINDE ESSE, AC EX VITA HOMINUM HOROLOGIA ET TEMPORUM RATIONES TOLLERE.

§. 182.

veritas theologica Supereſt veritas religioſa, ſacra, unice ſalutaris ad conſequendam felicitatem æternam, auguſta, adoranda, maximo veneranda obſequio. Theologicam dicunt theologi, nec refragamur: niſi quod veritas omnis, licet pronuntiatione diverſâ, ſermo quispiam DEI ſit.

§. 183.

quotuplex? Veritas theologica alia dogmatica eſt, aſcetica alia. Dogmaticam interpretamur conformitatem propoſitionis cum verbo Chriſti. O conformitatem terque quaterque beatam, ex qua, quidquid proſperitatis, poſt fata, exſpectari poteſt, univerſum pendet! Joh. 17. v. 3.

§. 184.

habet gradus Quo quid ad Chriſti verbum conformitate propius accedit, eo majorem, ſublimioremve conſcendit veritatis dogmaticæ, in Theologia, gradum. Poteſt igitur ſuis hæc veritas diſcerni gradibus.

§. 185.

probanda definitio §. 183. Uti, quidquid hucusque ex veritatis profanæ ſtudio in oratorem cadere dixi (nihil autem non cadere dixi) ex claſſicis, qui αὐθεντίαν habent, probatum ivi auctoribus: ſic, quæ de

hac

hac veritate, *non præcipiendi cauſſa, ut magiſtri, ſed ut exiſtimatores, loquenda* ſuſcepimus; (verbis his Tullium ſequor in orator. T. I. edit. Gothofr. p. 367. lit. A. B.) ex codice ſacro, qui in ſacris habet auctoritatem unus, derivabimus paucis.

§. 186.

Chriſti verbum veritas eſt: Joh. 17. v. 17. nunquid mirum, ſi, quod ei conforme eſt, ejusdem eſſe naturæ intelligatur? argumentum primum

§. 187.

Ipſe Servator veritas eſt. Joh. 14. v. 6. quid enim eo, ἐν ῷ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι, *in quo omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis reconditi ſunt*, Col. 2. v. 3. cum divina ſapientia, ordinis omnis, ideoque & veritatis, matre, conformius? Quod ſi perſpicuum eſt, ut eſt ſane, quomodo illius verbum, & quod cum eo conſentit, eſſe falſum poſſit? ſecundum

§. 188.

Quod igitur cum verbo Chriſti conſentit, & quantum conſentit, id veritate theologica perlucet, & tantundem perlucet. corollarium

§. 189.

Audiamus eccleſiæ patrem gradus deſignantem. Illi veritatis theologicæ gradum inferiorem, erroribus tamen, v. g. Idololatriæ, ſuperiorem, tenent, qui unum hujus mundi auctorem, eundemque ſupra omnes colendum, & nôrunt, & proſequuntur timore. gradus veritatis theol. quos Eccleſiæ Patres deſignant

§. 190.

§. 190.

Auguſtinus — Ex eorum numero Auguſtinus fuiſſe Platonicos ſcribit, de Civitate DEI Libr. VIII. ad Marcellin. cap. 9. p.745. edit. cui commentar. Lud. Viv. juncti ſunt, anno 1651.

§. 191.

Verba ejus — *Quicunque igitur Philoſophi de DEO ſummo & vera iſta ſenſerunt, quod & rerum creatarum ſit effector, & lumen cognoſcendarum, & bonum agendarum: quod ab illo nobis ſit & principium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ, ſive Platonici accommodatius nuncupentur, ſive quodlibet aliud ſectæ ſuæ nomen imponant - - - qui hoc viderint ac docuerint, eos omnes cæteris anteponimus, eosque* nobis NB. propinquiores eſſe fatemur.

§. 192.

ex Lactantii ſententia — Hunc gradum majore perſpicuitate internoſcendum oſtendit Lactantius de ira DEI, num. 2. p. 412. edit. Cantabrig. 1685. *Nam cum ſint*, inquit, *gradus multi, per quos ad domicilium veritatis adſcenditur; non eſt facile cuilibet evehi ad ſummum. Caligantibus enim veritatis fulgore luminibus, qui ſtabilem greſſum tenere non poſſunt, revolvuntur in planum.*

§. 192.

gradus primus — *Primus autem gradus eſt, intelligere falſas religiones, & abjicere impios cultus deorum humana manu fabricatos* (fabricatorum.)

§. 193.

ſecundus — *Secundus vero perſpicere animo, quod unus ſit*

ſit DEus ſummus, cujus poteſtas ac providentia effecerit à principio mundum, & gubernet in poſterum.

§. 194.

Tertius cognoſcere Miniſtrum ejus, ac Nuntium, quem legavit in terram: quo docente liberati ab errore, quo implicati tenebamur, formatique ad veri DEI cultum, juſtitiam diſceremus. tertius

§. 195.

Pergit deinceps Lactantius: *de primo gradu eos excuti vidumus, qui, cum falſa intelligant, tamen verum non inveniunt, contemtisque terrenis fragilibusque ſimulacris, non ad colendum ſe DEum conferunt.* judicium de primo

§. 196.

De ſecundo verò gradu eos dicimus cadere, qui conſentiunt, unum eſſe DEum, iidem tamen à Philoſophis irretiti - aliter de illa majeſtate ſentiunt, quam veritas habet, qui aut figuram habere putant, aut ullo affectu commoveri (nec adeo rarus hic error in ipſis Chriſtianis eſt, ſubtiliori licet modo commiſſus.) de ſecundo

§. 197.

De tertio autem ii præcipitantur, qui cum ſciant Legatum DEI, eundemque divini & immortalis templi conditorem, tamen non accipiunt eum, aut aliter accipiunt, quam fides poſcit. Hæc quidem Lactantius. de tertio gradu

§. 198.

Tertius gradus, in quo eſſe collocatos, noſtra maxime intereſt, multis iterum novis differentiis conſpicuus, meditanti objici poteſt. tertii ſubdiviſio

§. 199.

§. 199.

primus aditus Primus offert propoſitiones de Chriſto formatas, animoque conceptas, adprobatasque, nonniſi neceſſarias, nec admodum diſtincte cognitas. Qualis eſt hominum ſimpliciorum, nec animi tamen à pietate in Chriſtum alieni.

§. 200.

alter Alter ſiſtit doctrinarum de Chriſto ingentem multitudinem, earundemque, ſi ſingulas ſpectes, non admodum diſtincte aut profundius cognitarum: quem gradum Theologi tenent Polyhiſtores.

§. 201.

tertius Sublimior eſt, qui non tam multas quidem de Servatore propoſitiones memoria complectitur, at diſtinctius tamen, ac profundius cognitas, & maximæ convictioni gignendæ permultum inſervientes.

§. 202.

quartus Supremus denique in hac vita eſt, ubi conjungitur antecedentium uterque; ubi & plurima, &, quantum nunc in mortalem cadit, diſtinctiſſime, cognoſcuntur; ubi profundam rerum ſacrarum ſcientiam in ampliſſimæ notitiæ oſcula ruere, admirabili ſpectaculo, videre licet.

§. 203.

quintus idemque cœleſtis His omnibus coronam imponit ac diadema celſiſſimus ille gradus, ad quem nonniſi, poſt fata, aditus præbetur atque adſcenſus, QUANDO FIDEI ÆNIGMA CUM COELESTIUM SCIENTIARUM FULGORE COMMUTABITUR. 1. Cor. 13. v. 12.

§. 704.

§. 204.

Hujus in vitæ curriculo fides mixta ſcientiæ, ænigmatis obſcuritas offuſa lumini, auroram, in qua tenebrarum lucisque pugnam dulcem, non ſine animi voluptate videas, per totum eccleſiæ horizontem ſpargit. Hic ut explicari poſſit, fit præparatio.

§. 205.

Eſt in fide, eſt in divino verbo lumen, eſt & unà caligo: quod, quomodo ſine idearum repugnantia fieri poſſit, ne quisquam ſive ſiniſtrorſum, ſive dextrorſum limites migret, &, ſive fidei ſine ſcientia, ſive ſcientiæ ſine fide, omnia tribuat: id nobis negotii eſſe datum arbitramur, ut explicemus paucis. in fide lux & caligo

§. 206.

Fides eſt aſſenſus propoſitioni præbitus, ex cujus ſubjecto, prædicati natura determinari vel plane non poteſt, vel nonniſi tantum, quantum ſubjecti conditio auctoritate Dei patefacta eſt. Illius generis eſt ſacrum Trinitatis myſterium: hujus vero aliæ veritates theologicæ complures. probatur ex natura fidei.

§. 207.

Ex natura DEI, Trinitatis prædicatum non determinaveris, ſi ex eo judicandum ſit, quantum hucusque ex ſcriptura Theologi profecerunt: neque tamen Trinitatis prædicatum in DEI natura ineſſe non credis, ob auctoritatem ſumma cum ratione conjunctam, quæ te fallere non poteſt. exemplo Trinitatis

§. 208.

JEſum vero Nazarenum Meſſiam eſſe, quæ perſonæ Chriſti.

doctrina-

doctrinarum apoſtolicarum ſumma fuit Actor. 9. v. 20. c. 8. v. 37. c. 17. v. 3. c. 18. v. 28. &c. nonniſi tantundem cognovimus, quantum nobis ſubjecti natura, tot criteriorum adparatu Actor. 10. v. 38. 43. illuſtris, à DEO revelata fuit, ut exinde prædicati veritatem poſſimus intelligere.

§. 209.

quid in fide caliget, quid luceat? Quatenus Trinitatis cum natura divina nexum, ex hac oſtendere non poſſum, eatenus me veneranda obfuſcat caligo. Quatenus vero auctoritas accedit, quæ partim falli neſcia cognoſcitur, partim hoc ipſum profiteri intelligitur, de quo quæritur: *utrum in DEI natura perſonarum inſit trinitas?* eatenus lux coorta eſt, qua frui, qua delectari, qua niti tuto licet. Eorum, qui Chriſti vixerunt temporibus, fides, radiabat luce maxima: Servatoris enim gloriam coram contuiti ſunt Joh. 1. v. 14. at non ſine intermixta caligine, quæ, formâ Chriſti tam humili, tam contemtâ Eſaj. 53. v. 4. ut offenderentur, Matth. 11. v. 6. facile inducere potuit. Noſtris temporibus, cognitio Chriſti, quanta non reſplendet lucis menſura? at offundit abſentia ejus tenebras: cum difficile ſit, moveri ſemper & ubique, majeſtate, quam non videas. 1. Petr. 1. v. 8.

§. 210.

fides non eſt cœca & ſine ratione Non igitur ſine ratione & ſcientia fides eſt: nititur enim auctoritate, quæ ſumma ratione pollet: intelligit etiam auctoritatem loquentem, quod non eſt cæcæ fidei. Duo fidei fulcra ſunt,

duæ

duæ ejuſdem rationes : hypoſtaſin Paulus vocat Hebr. 11. v. 1. *primum* ſcripturæ divina origo locum obtinet, *ſolidiſſimis probanda argumentis : alterum,* recta interpretatio.

§. 211.

Falluntur ergo ii turpiſſime, qui ſimpliciter credendum eſſe cauſſantur & crepant, quoties propter ignorantiam illis occurrere nequeunt, quos argumentorum pro ſcripturæ αὐθεντίας, aut certarum interpretationum quædam claſſis adhuc anxios dubiosque tenet. Non rimari myſteria conantur, ſed eorum roborare cognitionem, ſubſtitutis, pro ſua ſententia, melioribus. *Non* contra fidem, ſed pro illa *omnino agunt*. corollarium

§. 212.

Contra, qui omnia ad ſcientiam revocare, fidei & auctoritati nihil tribuere, ex rerum naturis omnia, vel ubi ſumma auctoritas nequaquam præivit monendo, ac docendo, marte proprio intelligere conantur : iis ego, ſimplici animo credendum eſſe, i. e. cùm GENERALES FIDEI RATIONES HABEANTUR, SPECIALES NON INVESTIGANDAS ESSE, auctor ſuaſorque equidem eſſem. fides tamen non complectitur rationem omnem

§. 213.

Tandem ergo intelligitur, quis veritatis theologicæ ſupremus, idemque cœleſtis gradus, ipſâ fide ſuperior, exſiſtat. Is nimirum, qui, fide poſt tergum relicta, ſpecialiſſimas doctrinarum ſacrarum rationes detectas *inve-* quid ſit gradus ſupremus notetur

 nit,

nit, quas hoc tempore credendo, non ſcientia comprehenſas, veneramur: *qui* novo ſentiendi typo percipit, *quibus mortale hoc*, *quod* in corpore circumgeſtamus, ſentiendi ſchema, repræſentandis menti, minime ſuffecit, ſecundum DEI exod. 33. v. 20. Pauli 1. Cor. 15. v. 50. ſententiam: qui denique occaſione novorum ſenſuum infinito diſtinctius plurima intelligendi anſam prenſabit, quæ in noſtros præſentes ſenſus cadere, ideoque hoc debili intellectus lumine dijudicari, nequaquam poſſunt, teſte Paulo, qui, utrum hoc ſentiendi mortale ſchema tantis percipiendis par fuerit rebus, nec ne, ſe ſcire negat, his uſus verbis: εἴτε ἐν σώματι, ὐκ οἶδα εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος, ὐκ οἶδα. ὁ θεος οἶδεν. *fueritne in corpore neſcio*, *fueritne extra corpus*, *neſcio*, *DEus cognovit.*

§. 214.

Veritas theol aſcetica

Pervenio nunc ad alteram theologicarum veritatum claſſem, quæ ponitur in aſceticis. VERITAS ASCETICA EST CONFORMITAS VITÆ CUM EXEMPLO CHRISTI.

§. 215.

in Pauli ſcriptis fundata ejus adpellatio

Paulina eſt hæc loquendi ratio. Ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ eſſe jubemur, Epheſ. 4. v. 15. i. e. *veritatem in amoris ſtudio ſequentes*; quod qui facit, vitam ad Chriſti, ſimiliter nos amantis, Joh. 13. v. 1. exemplum componit ſuam.

§. 216.

funda-

Quo vita igitur plus, minus cum Chriſti conſentit

ſentit exemplo, eo' propiores aut remotiores ab hac, quæ tanto eſt opere neceſſaria, veritate exſiſtimus. menta graduum

§. 217.

Regiones illas, in quibus verſati, alii alios præcurrentes, à tanto σκοπῷ Phil. 3. v. 14. longius aut propius abſunt, quum ſacri oratoris, ad auditores internoſcendos, ſermonesque eorum affectui accommodandos, permultum interſit, certis iterum gradibus, ſi placet, dimetiamur. gradus deſignandi

§. 218.

Exordiendum, ordinis, & lucis majoris cauſſa, ab illis gradibus, qui longiſſime infra hanc veritatem ſubſiſtunt, à quibus deinde, ſenſim aſſurgenti, omnes adſcenſus, in queis Chriſtianos collocatos novimus, eo diſtinctius licebit perluſtrare. unde exordiendum?

§. 219.

Jurati primo veritatis aſceticæ hoſtes ſunt, quos ad doctrinam cœleſtem amplectendam & plumbea indoles obſtupefacit, & animi malitia pervicax obſtinatiſſimos reddit. primus gradus

§. 220.

Hos lepide & breviter depingit Comicus, apud quem Simo, Terent. Andr. Act. I. ſcen. I. vers. 137. illuſtratur

MALA MENS, MALUS ANIMUS, *quem ego ſi ſenſero*

Er iſt mit Haut und Haar nichts nutz. Mens enim cogitandi, animus volendi, facultatem notat: quâ utrâque malâ quid poteſt deprehendi peſtilentius?

§. 221.

ſecundus gradus Tolerabilius mali ſunt, ideoque ſecundo gradui inſiſtunt, qui, quamvis animo ſint improbiſſimo, non tamen ad intelligenda ea, quæ Chriſti dogmata ſunt, ſtupidiſſimi, aut plane inſenſati exſiſtunt.

§. 222.

illuſtratur Puto hos Caji Curionis deſcribi exemplo, de quo Vellejus Paterculus Libr. II. cap. 48. p. 55. edit. Lugd. Batav. 1639. *vir nobilis, eloquens, audax, ſuæ alienæque & fortunæ, & pudicitiæ prodigus,* HOMO INGENSOSISSIME NEQUAM, *& facundus malo publico.*

§. 223.

tertius gradus Tertio loco conſiſtunt, ideoque excuſatius peccant, quàm paulo ante reprehenſi, qui debilitate quidem facultatis intelligentis laborant; at non adeo obſtreperi, non moroſi, non difficiles ſe iis præbent, à quibus ad veritatis obſequium revocari cœptant.

§. 224.

illuſtratur exemplo Ex eo forte hominum genere fuit Darius Perſarum Rex, ſi, quæ de eo Curtius L. III. cap. 2. §. 17. narrat, vera ſunt. Erat Dario mite ac tractabile ingenium, *niſi ſuam naturam plerumque fortuna corrumperet.*

§. 225.

alio exemplo Per me etiam ejusdem fuiſſe indolis exiſtimetur licet Vitellius, Imperator, de quo Tacitus Hiſtor. L. III. cap. 86. p. 429. edit. Amſtel. 1672. ſcribit: *inerat* tamen ſimplicitas ac liberali-

liberalitas, *quæ, ni adſit modus, in exitium*
vertuntur.

§. 226.

Reliqui propius à veritate theol. aſcetica, ſeu reliqui propiores
pietate verè chriſtiana, abſunt, licet eam non-
dum conſecuti. Magna enim eſt hominum
varietas, etiam eorum, quos gratiæ divinæ effi-
cacia in veritatis decurrendo tramite nondum
collocavit.

§. 227.

Sunt nimirum, qui, tametſi per honores, quos quartus gradus
gerunt, per voluptatis, quâ tam blande affici-
untur, dulcedinem, per divitiarum non amit-
tendarum, metum, Matth. 19. v. 21. 22. quo
minus ſe Chriſto dedant totos, omnino impe-
diuntur: pietatis tamen chriſtianæ præſtantiam,
neceſſitatem, dignitatemque contemplati, neque
ſe illi iniquos præbent, neque eam ſuo defrau-
dant patrocinio.

§. 228.

Exemplum ſi vis, in Herodis, de quo Marc. exemplum ejus
6. v. 20. vita, illud reperire poteris: cui ſpiri-
tus S. hoc teſtimonium ferre non dedignatus eſt:

§. 229.

Ὁ γὰρ ἡρώδης ἐφοβεῖτο τὸν ἰωάννην, εἰδὼς αὐ- citatur
τὸν ἄνδρα δίκαιον, καὶ ἅγιον. Καὶ συνετήρει αὐ-
τὸν, καὶ ἀκούσας αὐτοῦ πολλὰ ἐποίει, καὶ ἡδέως
αὐτοῦ ἤκουε.

§. 230.

Quod ex interpretatione Caſtellionis hoc
ſonat: *Herodes Johannem verebatur, ſciens,*
virum eſſe juſtum atque ſanctum, eumque ob-

 ſervabat,

ſervabat, eique multis in rebus auſcultabat, & eum libenter audiebat.

§. 231.

exempla hodierna

Hoc numero plerumque ſunt & hodie, qui divitiis abundant, opibus florent, quos munerum ſplendor evexit ſupra cæteros, quos dignitatis auctoritatisque gradus altiore loco poſuit, quam ut cum Chriſto humi rependum ſibi eſſe putent.

§. 232.

gradus quintus

Aliquanto propiores exſiſtunt, quos non tantum patrocinii, ad hanc veritatem aſceticam applicandi, cura occupat; ſed & deſiderii, ſive ex gratia DEI prævia orti, ſive aliunde nati, non contemnendus niſus; ſerium, ſed languens, votum, ut à DEO viribus in eo veritatis ſtadio decurrendi, animentur.

§. 233.

plenius deſcribitur

Mille, qui ita affectus eſt, brevi conſilia tempore concipit, in lucem enititur nullum, exſtinctis in prima herba piis animi motibus. Rapitur per varios negotiorum ſtrepitus; in quo quidem tumultu ſerio ad exſequenda conſilia nunquam animum applicat, ni inopinatæ tranquillitatis interventu, interdum ad ſe redire jubeatur.

§. 234.

illuſtratur

Quod quidam nonnullis Nili accolis accidere finxerunt, ut eos, præ ſonitus magnitudine audire quidquam negarent: id his evenire ſolet in tanto viciſſitudinum, laborum, fatorumque veluti marino murmure.

§. 235.

§. 235.

Tullius in ſomnio Scipionis cap. 5. §. 8. ſequentia memoriæ prodidit: *hoc ſonitu oppletæ aures hominum obſurduerunt: nec eſt ullus hebetior ſenſus in nobis*; (veriſſima hæc in Chriſtianis, ſed peſtilentiſſima ſunt ἡ πίστις γὰρ ἐξ ἀκοῆς Rom. 10. v. 17.) *ſicut ubi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altiſſimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret.* Ciceronis quodam loco

§. 236.

Judææ Præfecto, Felici, id eveniſſe, per apoſtolorum acta, cap. 24. v. 25. accepimus, *Poſtquam Paulus officiorum maxime neceſſariorum doctrinâ animum ejus pupugit; abi nunc, ajebat, te, ſi commodum fuerit, arceſſam.* Item Agrippæ. Actor. 26. v. 28. exemplo Felicis

§. 237.

Excipit hos aliud hominum genus, paulo eccleſiæ utilius, ideoque ſublimiori in gradu collocatum, quod non tam votis, quam ipſo opere, multa exſequitur, quæ veritas aſcetica depoſcit. ſextus gradus

§. 238.

Illos innuo, qui in explendis quibuslibet officiis, ad cultum DEI externum, ad amorem in alios ſignificandum, pertinentibus, ſe præbent admodum laborioſos: qui cœtus ſacros frequenter obeunt, eleemoſynas larga manu erogant, verbum DEI, privatim ſæpe lectitatum, in pretio habent, triſtem, rigidam, ad leges plenius deſcribitur

omnes exactam vivunt vitam, ſed ſine ſpiritali virium divinarum, queis animus formaretur, efficacia.

§. 239.

illuſtratur Horologia, machinas, automata, artificis manu affabre conſtructa, non Chriſtianos, vità vitali, ac divina afflatos, dixeris: qui quod faciunt, πρὸς τὸ θεαθῆναι, ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, faciunt, Matth. 6. v. 1. quibus ſive privatæ gloriæ ſtudium, ſive naturæ conatus ſiccioris, maximam ex ſe ipſa in omni munere aſſiduitatem gignentis, ſive educationis conſuetudo, quam ab ineunte ætate contraxerunt, neceſſitatem multa præclare faciendi, ſed ſine animi, ad rectiora formati, ſincera deſtinatione, & pio affectu, imponit.

§. 240.

gradus ſequentes piorum Hactenus ſubſiſtunt, qui veritatis aſceticæ, per vires divinas ingenerandæ, ſunt adhuc expertes. Nunc variæ eorum differentiæ enumerandæ ſunt, qui iſtam quidem veritatem revera ſunt conſequuti.

§. 241.

ſeptimus gradus Sunt, qui animum gerunt, divina efficacia, ad chriſtianam frugem, revocatum; quos adeo divinitus conceſſa vita animat: quam illi tamen non ſatis curant, paulo negligentiores facti, quàm, pro menſura virium, æquum erat.

§. 242.

probatur ex ſacris Hos, ni fallor, excitat, & reprehendit Paulus, quum, εἰ ζῶμεν, inquit, πνεύματι, πνεύματι καὶ στοιχῶμεν. *Si vitam ſpiritûs vivimus,*

in

in ſpiritu quoque ambulandum eſt. Adde Matth. 25. v. 5.

§. 243.

Quid hoc eſt aliud, quam ſignificare, divinas, queis pollemus vires, exercendas quoque eſſe: *nec degendum* dormientium *more,* qui ſine *notabli* actione vivunt, uti, quos in antecedenti collocavimus gradu, ſine vita agunt mechanice. explicatur

§. 244.

Illi ſublimiorem & hôc, quem modo dixi, ipſô, conſcenderunt gradum, qui & animum gerunt pie affectum, & operibus eluceſcunt præclaris, multo ſtudio & labore perfectis. octavus gradus

§. 245.

Heic internis externa conſentiunt; heic, liceat ita loqui, Enthuſiaſmus cum Papiſmo conjunctus, quousque uterque laudabilis eſt, plenam chriſtiani imaginem format.

§. 246.

Sed cum ſemper varia ſint variorum hominum dona, etiam ubi internis externa conformantur, diverſitas oriatur neceſſe eſt. Διαιρέσεις γὰρ χαρισμάτων εἰσι: *diviſiones donorum quippe ſunt.* 1. Cor. 12. v. 4. variantium præterea graduum fundamenta

§. 247.

Itaque, qui & animo & vita, quatenus ſub ſenſum cadit exteriorem, ad virtutem Chriſtianam formati cognoſcuntur, ſi vel lumen illud cœleſte, *in rebus ſacris intelligendis,* vel ardorem ſanctum, *in exſequendo eo,* quod in quibus rebus ſita ſint.

 cogni-

cognitum eſt, ſpectes, pro vario tum *luminis* tum *ardoris* menſura, quam dari, μέτρον πίστεως indicat, de quo Rom. 12. v. 3. diverſiſſimis modis variare poſſunt.

§. 248.

inde exſurgit novus gradus

Primo obſerves, qui, cùm gratiæ viribus adjuti, piam DEO animam, vitamque omnem ſacram eſſe jubent; erroribus tamen qnibusdam impediti, à multis purioris doctrinæ locis, alieniores adhuc exſiſtunt.

§. 249.

quid de eo habendum

Quibus uti, qui rectius in iisdem rebus ſapiunt, prudenter inſervire debent; quos uti nec rigido tractare zelo convenit, nec multo minus damnare, cœtu ejicere, ni ſua ſponte recedant, aut vexare licet: ita ex adverſo facile conjicitur, eos in pietate chriſtiana mereri gradum, ſed non ſupremum, ſed non præſtantiſſimum.

§. 250.

exemplum

Eorum ex numero, ni fallor, illi fuere, quorum Actor. 21. v. 20. mentio fuiſſe facta legitur: Θεωρεῖς, ἀδελφὲ, πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰουδαίων πεπιστευκότων, καὶ πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου ὑπάρχουσι. *Vides frater, quot millia ſint Judæorum, qui crediderunt, & omnes ſtudioſi ſunt ſectatores legis.* Quæ Eraſmi interpretatio eſt.

§. 251.

aliud exemplum

Forte patrum eccleſiæ à Chriſto primum fundatæ complures, jure quodam ſuo huic adſcripſeris claſſi, quorum, quin errorum quibusdam laqueis implicati fuerint, paucos invenias.

§. 252.

§. 252.

De Clemente Alexandrino v. g. Barbeyrac in præfat. ad verſ. Pufendorf. gallicam p.XLII. num. IX. ſcribit. *Il juſtifie auſſi impudemment l'Idololatrie des Paiens lors qu'il dit*, que Dieu leur avoit donné le ſoleil la lune, & les autres aſtres, afin qu'ils les adoraſſent, & que par ce culte ils ſ'elevaſſent jusqu' à Dieu. ex Barbeyraco

§. 253.

Sub initium autem numeri IX. pluribus verbis, & graviter oſtendit, quantopere doctrina patrum, præſertim moralis, contaminata fuerit, & quibus illa ſententiarum monſtris horrida adparuerit. Nec illi tamen non pii, nec DEO non grati, nec, maximam partem, hodiernis non meliores fuerunt. quod latiſſime patet.

§. 254.

Alii his ſuperiores, exceſſo ſapientiæ; quæ errorum nebulas ſolis ad inſtar diſpulſas fugat; dono conſpicui, plus cognitionis fulgore lucent, quam ut vim quandam divinam, excitandis à ſopore impiis, in exſtimulandis ad ulteriora piis, plane ſingularem ac fecundam, comprobarent. gradus decimus

§. 255.

Qui cum, ne contra prudentiam juſtorum ullo caſu peccent, ſummo ubique ſtudio cavere inſtituunt; fieri non poteſt, quin tandem circumſpectiſſimi evadant, ſed in promovenda multorum ſalute non admodum describitur pluribus

dum potentes, quin in paucis quidem impingant, ſed & pauca agant, quin poſſideant ſapientiæ plurimum, ſed parum affectûs.

§. 256.

illuſtratur oraculo Non equidem refragabor, ſi cui in mentem veniat, illa Pauli verba, 1. Cor. 12. v. 8. ᾧ μὲν γὰρ διὰ τοῦ πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας: *nam huic quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ*, in hanc ſententiam interpretanda eſſe.

§. 257.

quod huc pertinet Nam ſi, qui h. l. ſapientiæ ornamentis condecoratus eſſe dicitur, reliquis, quæ in pios cadere poſſunt, donis, ex æquo reſplenderet: non poſſet ſane idem aliis à Paulo opponi, quorum in cœterorum poſſeſſione donorum ſit ſingularis, ideoque in ſapientem non cadens, prærogativa. Præpono autem hunc gradum illi antecedenti, de quo 248. ſeqq. quia confuſa cognitio pluris facienda non eſt, quam ſapientia.

§. 258.

undecimus gradus Hos excipiunt, in quibus ardor, quô in omnium feruntur οἰκοδομὴν, & ſalutem, ipſâ ſapientiâ, non quidem nullâ, major exſiſtit. Hi in aliorum animis ad frugem ſive reducendis, ſive in ea confirmandis, in commovendo omnium, à quibuscunque audiuntur, affectu, in convincendis efficaciter contraria ſentientibus, potentiſſimi exſiſtunt.

§. 259.

explica- Sed, quod in omni graviſſimorum laborum,

quos

quos exantlandos ſuſcepimus, concurſu, eve- tur pluribus
nire ſolet, ut in tanta, quæ in omnes animum
partes diſtrahit, cura, ſæpe quædam minus ex
ſententia, minus commode, minus è re & utilitate publica, præter opinionem, gerantur: id etiam his accidere ſolet, ut paſſim imprudenter hoc aut illud actum fuiſſe non prius cognoſcant, quam id quidem ipſo eventu animadverterunt.

§. 260.

Cum tamen ſatius ſit, pro animarum ſalute cur priori
& gloria Chriſti, multa agere, tametſi non ſine antepo-
erroribus; quam errores ſumma animi ſapientia nendus?
caventem, quoniam exitus ſæpe incertus eſt, ab agendo vires abſtinere: hunc gradum illo §. 254. celſiorem eſſe judico.

§. 261.

Utroque tamen ſublimiorem mox recenſebo. exemplum
ſi prius hujus exemplum, meo quidem arbitrio, eſſe Apollinis Actor. 18. v. 25. 26. dixero. Quidquid enim in hujus claſſis homines cadere poteſt, eô mihi Apollinem floruiſſe, videtur. Teſtantur id ſequentia verba.

§. 262.

Οὗτος ἦν κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου, καὶ verba
ζέων τῷ πνεύματι ἐλάλει καὶ ἐδίδασκεν ἀκριβῶς ſcripturæ
τὰ περὶ τοῦ κυρίου, ἐπιςάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. Οὗτός τε ἤρξατο παῤῥησιάζεσθαι ἐν τῇ συναγωγῇ, ἀκούσαντες δὲ αὐτοῦ Ακύλας καὶ Πρίσκιλλα προσελάβοντο αὐτὸν καὶ ἀκριβέςερον αὐτῷ ἐξέθεντο τὴν τοῦ θεοῦ ὁδόν.

§. 263.

Hic erat inſtitutus in via Domini: & fer- latine

vens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Domini: ſciens tantum baptiſma Johannis. Et hic cœpit libere loqui in ſynagoga. Quem quum audiiſſent Priſcilla & Aquila, aſſumſerunt eum, atque exactius expoſuerunt viam DEI. Verſio eſt Eraſmi.

§. 264.

corollarium. Ex quibus intelligitur, ardentiſſimos homines, qui in commovendis aliis quam plurimum poſſunt, ſæpe tamen ulteriori indigere notitiâ, ut iis perficiendis idonei fiant, quæ cauſſa DEI depoſcere ſibi videtur.

§. 265.

gradus duodecimus. Utrumque, & ſapientiæ ſingularis ad ponderanda omnia, & ſpiritus ardentis, ad expedienda plurima ſalutaria, donum qui conjunxerit, eum ego his omnibus majorem judicandum eſſe non diffiteor.

§. 266.

Quod etſi rariſſimum, obiter conſideranti, videri poſſit; non tamen prorſus à ratione & & experientia alienum eſt. Dona enim DEI naturis pariter atque menſuris diverſa ſunt.

§. 267.

exemplum conjicitur. Forte quidam inter Theſſalonicenſes hunc gradum occupârunt, de quibus 1. Epiſt. cap. 1. v. 5. ὅτι τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν οὐκ ἐγενήθη εἰς ὑμᾶς ἐν λόγῳ μόνον ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει, καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ &c. *Evangelium noſtrum fuit erga vos non per ſermonem ſolum, verum etiam per virtutem & per ſpiritum ſanctum, perque certitudinem multam &c.*

§. 268.

§. 268.

Dixi : FORTE : quodſi enim per λόγον, qui δυνάμει opponitur, intelligi à quoquam velit, non tam ſapientia & ratio cœleſtis, quàm verbum nudum, ſine efficàcia, in auditorum animis, patefactum : fateor, oraculum huc non pertinere. Suo quisque tamen abundet ſenſu. ſi tamen oraculi interpretatio permittit

§. 269.

Modo id exploratum ſit, non deeſſe tales, in quibus rariſſimo connubiô, utrumque donum copuletur. Nemo quippe mihi illam ſententiam extorqueat, coiviſſe utramque cœleſtem facultatem in Stephano, à quo Actor. 6. v. 10. & ſapientiam, & efficaciam in agendo, profectam fuiſſe, diſertis verbis legimus. aliud exemplum indubium

§. 270.

Quod ſi ad auguſtam harum, quas modo dixi, virtutum copulam, acceſſerit animi invictum robur, ad ſubeunda quævis, ſi Chriſti gloria popoſcerit, vitæ diſcrimina; quod ſi mortem, ſervatoris cauſſa, infligendam, non ſolum, quod facere omnes debent, qui Liberatoris ſunt initiati ſacramento, tolerare, verum & ſumma lætitia, atque conſtantia oppetere, quidam non dubitant, juxta triumphum, qui Rom. 8. v. 38. 39. canitur : tum demum, qui hoc affectus animo eſt, in excelſum emicuit veritatis aſceticæ locum. gradus decimus tertius

§. 271.

De quo ſane, non alienum videtur, judicare, quod de miniſterii ſacri gravitate Paulus pronun- judicium de eo

pronuntiavit: καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; *& ad hæc quis idoneus*, 2.Cor.2.v. 16?

§. 272.

gradus decimus quartus Celſiſſimo deinceps gradui, & ipſi, ut ita loquar, cœleſti & alterius vitæ, cognitioni, finitimo, inſiſtunt Apoſtoli: de quorum excellentia, ſatis habeo, indicare paucis: quidquid liberalitas in hominem divina conferre poſſit, & ſapientiæ fulgentiſſimum lumen, 2. Cor. 3. v. 18. & actionum bòni fecundiſſimarum vim, Rom. 15. v. 19. & mortis, pro Chriſti cauſſa oppetendæ, promtiſſimam alacritatem, Actor. 21. v. 13. & præter hæc dona, ſummam miraculorum auctoritatem, & muneris per omnes orbis oras gerendi ſupremam dignitatem, & Servatoris in carne ſpectati conſuetudinem: (his enim tribus Apoſtoli continetur prærogativa, primô quidem ob teſtimonium Act. 1. v. 8. alterô ob Marc. 16. v. 15. tertiô autem propter Actor. 1. v. 21.) id omne in hæc primæ magnitudinis ſidera à DEO largiſſima manu collatum eſſe.

§. 273.

ſequitur ex his oratoris ſacri officium. Quæ cum ita ſint, quantopere referat, ut orator, pro concione ſacra, has veritates omnes, δογματικὰς pariter ac ἀσκητικὰς, ſibi habeat longe commendatiſſimas, ſive ad veritatem in docendo conſequendam, ſive ad prudentiam in diſcernendis auditoribus excolendam, ſive ad ſuum ipſius animum, perpetua cura, emendandum; ita quidem luculenter intelligitur, ut vel ſolis radii majori fulgore coruſcare non poſſint.

§. 274.

§. 274.

Meum igitur non eſſe arbitror, pluribus ut oſtendam, quam neceſſarium oratoria ſacra cum omni theologica eruditione nexum habeat: (quamvis id inſtituti mei generatim ſit) neque enim ego alios docendos ſuſcipiam, à quibus potius me doceri expediet. *hic tamen non exponendum plenius*

§. 275.

Norunt omnes, oratorem ex ſcriptis tantum declamationibus aliorum ſapientem, nec veritates, quas dixi, theologicas doctum; aut propria Minerva, ſed mediocriter ſapientem; aut veritatum eximie gnarum, ſed dicendo frigidum; aut verbis calentem exardeſcentemque, ſed non ſatis prudenter, ſaltim non admodum ad auditores adcommodate; aut prudenter quidem, & docte, & adcommodate, aſt non ſine hypocriſeos fuco; aut ſine hypocriſeos fuco, ſed non ſatis meditate, verum methodo, quam vocant, ſpiritûs heroica, i. e. me judice, tumultuaria, loquentem, ſatis ſignificare, quod eruditionis theologiæ campos vel leviter transcurrerit, non luſtraverit, vel ſaltim omnes in ejus plagas non ſatis, quantum homines poſſunt, fuerit emenſus. *nævi oratorum ſacrorum breviter indicati*

§. 275.

Tanti ſcilicet intereſt, oratoriam & ſacram cum eruditionis theologicæ adparatu conjungi. *concluſio*

§. 276.

Si tamen, quem oratorem eſſe optimum, judicem, ex me quæras; pauciſſimis meam expromo ſententiam. Plura non requirat à me *Auctoris ſententia*

quisquam, cui profanæ eloquentiæ, non ſacræ, profitendæ ſparta commiſſa eſt.

§. 277.

de oratore ſacro optimo

Is tandem in eccleſia optimus exſiſtit orator, qui VERITATES SACRAS SOLIDE INTELLIGIT, INTELLECTAS SPIRITALI SENSU PERCIPIT, HOC SENSU PERCEPTAS, ARDENTE PROSEQUITUR AMORE.

§. 278.

quantum poſſit?

Primum operabitur, ut orator nonniſi prudenter & vera dicat, eademque accommodata: alterum, ut in oratione vita quædam inſit, i. e. efficacia ineffabilis, quam ex ſenſu profectam, non, niſi ſimili ſenſu, pii auditores diſcernent, & ſummo in pertio ponent; uti ſenſum auditus magis afficit vox cantantium viva, quam rerum ſonus in animarum, v. g. organorum muſicorum, ſimili tono, vivam vocem imitantium: Joh. 10. v. 14. reliqui, ſi hoc non poſſunt, certe quidem ſingularem eſſe profitebuntur, ut manifeſtiſſime ex Joh. 7. v. 46. elucet, ubi milites ὐδέποτε, inquiunt, οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, ὡς οὗτος ὁ ἄνθρωπος, *nunquam quisquam ſic locutus eſt, quemadmodum hic.*

§. 279.

quantum præterea?

Tertium vero efficiet, ut lubenti animo, non mercenario, dicat, (ut autem quisque in quaque re expedienda lubentiſſime, ita etiam dexterrime agit, cùm à tædio agentis neſcio quis torpor & ſocordia in actionem irrepat) ut cum maximo Chriſti doctrinam propagandi zelo

verba

verba faciat, ut diu noctuque rimetur, (ſic enim amantes ſolent) quod ad veritatis tam caræ majorem ſubinde intelligentiam, applicationem, vim & efficaciam, facere quidquam poſſit.

§. 280.

Cujus mentem & animum, quæ ſumma eſt, divina ſapientia, & oratio (λόγος) Joh. 1. v. 1. occupatum tenet: eumne tu oratorem futurum non exiſtimabis? Atqui, qui veritates divinas, quas ante expoſui, ſolide intelligit, intellectas ſpiritali percipit ſenſu, tali autem ſenſu perceptas, vehementer, quod fieri neceſſum eſt, amat: ejus animum ſuprema ſapientia & oratio incolit: qui igitur ita affectus cognoſcitur, idem orator ſit oportet præſtantiſſimus. demonſtratur definitio paragraphi 277.

§. 281.

Si quis voluerit animi ſui complicatam notionem evolvere, (Ciceronis verba ſunt de offic. L. III. c. 19. §. 1.) ſe ipſe docebit, tum demum mentem humanam à quoquam poſſideri, & in domicilium adaptari poſſe, quum quid ipſa & intelligit, & ſentit, & amat: ab eodemque viciſſim intelligitur, ſentitur, amatur. continuatur demonſtratio

§. 282.

In hoc ſanctiſſima illa unionis myſticæ vicinia ſervatoris & chriſtiani mutua ponitur. Illis rebus animâ præſto ſumus, quas jam intelligimus, expendimusque diſtinctius, juxta Paulum 1. Cor. 5. v. 3. ἐγὼ μὲν γὰρ ἀπὼν σώματι, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι, *equidem corpore abſens, præſens ſpiritu*, i. e. rerum Corinthi actarum & jam agendarum diſtincta repræſentatione: continuatur

quaſque præterea amamus : ὅπȣ γὰρ ἐςιν ὁ θηſαυρὸς ὑμῶν ἐκεῖ ἔςαι καὶ ἡ καρδία ὑμῶν : *nam ubi fuerit theſaurus veſter*, (quo quidque loco poſitum amatis) *ibi & erit cor veſtrum.*

§. 283.

continuatur Illis rebus autem corpore hoc præſto ſumus, quæ in ſenſum auditûs, oculorum &c cadunt. Nec quisquam ſe cuiquam præſentem eſſe, niſi ex hoc charactere, novit.

§. 284.

continuatur Cum igitur λόγος, ſeu ſuprema ſapientia & oratio, ab illis, qui ſacra pollere facundia cupiunt, intelligi, ſentiri, & amari (quantum præſentis vitæ modulus permittit) debeat, ex §.277. poſita hypotheſi : quis adeo obeſæ naris eſt, quin ſubodoretur, illorum, qui hoc faciunt, animas, Chriſti domicilia, ſupremæque eloquentiæ officinas eſſe ?

§. 285.

λογος oratori ſacro præſens ſecundum naturam utramque Uti autem ſuprema ſapientia & oratio non mentem duntaxat humanam, ſed & corpus incolit ; 1.Cor.6. v. 19. quam ob cauſſam & veritas cœleſtis per aures Rom. 10. v. 17. oculosque in baptiſmo & cœna S. animum ſubire ſolet, & viciſſim ex animo in externos ſenſus repercuti Pſal. 84. v. 3.

לִבִּי וּבְשָׂרִי יְרַנְּנוּ

corpus & anima mea gaudebunt : ita aut ſenſus carnis Chriſti, gloria jam cœleſti veſtitæ, ideoque infinitô noſtris his ſagaciores, repræſentant hanc propinquitatem, aut non repræſentant. Non repræſentare, cave dixeris: cùm, quous-

quousque ſenſus non percipiunt, quod λόγος agit, eousque illi cum hoc non intelliguntur conjuncti: ut exemplo corporis conſtat noſtri; cujus ſi motus non reſpondent animæ notionibus; nulla cogitari utriusque unio debet. Itaque ſenſus carnis Chriſti, λόγου, ſeu ſupremæ in nobis domicilium figentis ſapientiæ, & orationis, præſentiâ non minus ſe patientur affici, quam corporis noſtri ſenſus eâdem percelluntur unione.

Chriſtum juxta utramque naturam mediatorem eſſe, vel illi concedunt, qui à nobis in hoc dogmate diſſentiunt. Jam vero, ſi & caro Chriſti eo fungitur officio, tum operatur in terra: operatio autem ſine præſentia reali cogitari nequit. Niſi forſan moralem duntaxat præſentiam affingas carni Servatoris, qualis eſt regum in ſuis ditionibus, quibus per ſubordinatos præſto ſunt. Vid. Turretin. de offic. Chriſt. Mediat. queſt. 2. p. 411. P. II. edit. Genev. 1688.

Præterea Chriſti carnem à nobis adorandam docent, non quidem ut fundamentum adorationis, quod per ſe in ſolo DEO ſit; ſed ut objectum adorationis, quà eſt θεάνθρωπος, & ut adjunctum adorationis, quod caro eſt, reſpectu divinitatis. Turret. cit. loc. Q. 18, p. 540. ſeq. Jam caro, ſi, utpote Divinitatis adjunctum, plus adoranda, quam fideles, quos incolit S. S. Trinitas Joh. 14. v. 23. tum aut novit quæ orant homines, aut ignorat. Si ignorat, non eſt adoranda, exemplo Abrahami:

Eſaj. 63. v. 16. ſi novit, infinita nôrit neceſſe eſt, ob infinitas vel ſingulis momentis fuſas preces, quas DEus nemini revelare poteſt, niſi prævia tali unione, & idiomatum communicatione, quam defendimus. Nam revelare, quæ omnes in terra homines, hoſtes eccleſiæ, & cives cogitant, moliuntur, eſt transfundere actum ſcientiæ infinitæ; infinitæ vero ſcientiæ actus, idemque communicatus, præſtruit & vim, & vis facultatem collatam infinitam.

§. 286.

illuſtratur Quodſi juſtos ſolis fulgore radiaturos (ſecundum corpus) vere Chriſtus dixit: Matth. 13. v. 43. quô non ſplendore, qua non majeſtate, & amplitudine Chriſti erit conſpicuum corpus?

§. 287.

illuſtratur Atqui, quin ſolis radii per univerſum hunc vorticem, cujus noſtra tellus planeta eſt, ſpargantur, dubium nobis id quotidie experientibus eſſe non poteſt: cur igitur ejusmodi quid in Chriſti corpore fieri poſſe negamus?

§. 282.

illuſtratur Solem, ſi radiis ſenſu præditis, eſſe animatum voluiſſet is, qui vitam inſpiravit primo parenti: quis eum, quæ apud nos geruntur, percipere potuiſſe omnia & ſingula, negaret? Cur vero negamus id à natura corporis in ſe alienum eſſe, præſertim Chriſti?

§. 289.

Auctoris Angli Perplacuerunt in hanc rem verba cujusdam Angli præclara, in libro, *von dem glückſeeligen Zuſtand der auserwählten in dem ewigen Leben*

ben - - in Engliſcher Sprach beſchrieben nunmehr in das Hochteutſch überſetzt &c. mit einer Vorred Joh. G. Pritii 1729.

§. 290.

Poſtquam Auctor paſſim multa, quæ huc facere poſſunt: tum inter alia p. 72. his verbis utitur: verba

§. 291.

JEſus Chriſtus iſt, wann man ihn als Menſch und als Mittler betrachtet, der groſſe und allgemeine Richter aller Sachen, und Geſchäffte in der Welt. Alles thut er was darinnen geſchiehet dann es iſt ihm (quà homini : intelligit Auctor, ut ex antecedentibus patet) *alle Gewalt im Himmel und auff Erden gegeben. Alle Ding ſeynd ihm unterworffen, und er iſt das Haupt aller Dinge, welche die Kirche angehen.* citata

§. 292.

Dieſes und viel anderes eben ſo wichtiges von JEſu Chriſto verſichert uns die H. Schrifft. Jedoch kan man ſich nicht einbilden, noch begreiffen, daß er diejenige Gewalt, welche ihm gegeben worden iſt, ausüben könne, wann er nicht die Sachen und Geſchäffte der Welt vermittelſt derjenigen Erkanntnuß, ſo in die Augen fällt, erfahren und wiſſen ſolte, noch daß er dieſe Erkanntnuß ohne groſſe Ausbreitung und Ausdehnung ſeiner Gegenwart haben könne. continuantur

§. 293.

Senſuum igitur, queis caro Chriſti, cœleſti Præſentia

 majeſta- carnis

Chriſti in terris non repugnans

majeſtate reſplendens, Phil. 3. v. 21. gaudet, tam late patere perceptio poteſt, ut lucis animatæ, ejusdemque ſolaris, ad inſtar, rerum in mundo hoc geri nihil poſſit, quod ejus in lumine collocatum, & in aprico poſitum non ſit. Hinc humanam Chriſti naturam conſpicari potuit, dextram DEI claudentem, Stephanus, Actor. 7. v. 55. eandemque gloriæ cœleſtis radios ad martyris hujus oculos usque ſpargentem.

§. 294.

ſolvitur dubium

Nec obſtant vulnera, quibus Servator ſe poſt recuperatam, pulſa morte, vitam, ſuis præbuit ſpectandum palpandumque: neque enim ex terrenis cœleſtia metienda ſunt; nec pro anguſto ingenii, ſenſuumque, quibus nunc circumſcripti ſumus, modulo, æterna capienda aut æſtimanda ſunt; neque, quod inprimis conſiderandum eſt, tota Chriſti carnis majeſtas, & ſplendor diſcipulis tum oſtendi potuit, quum vulnera ipſis monſtrata ſunt: aliter nec quidquam videre potuiſſent, præ fulgore: ut exemplo Pauli, conſtat, quem coruſca adparentis in via ſpecies proſtravit, & oculorum aliquandiu orbavit uſu. Adde oraculum Dan. 10. v. 6. 7. Nam ſi vel angeli majeſtas tanta eſt, ſuo ut poſſit perterrefactum projicere Danielem fulgore: quanto minus tum Chriſtus ſuæ carnis gloriam, angelis ſuperiorem & adorandam, Hebr. 1. v. 6. apoſtolis oſtentare potuit univerſam?

§. 295.

ἀνακεφαλαίωσις

Paucis, quæ dixi, complectar. In eo ſe habitaturum Servator pollicitus eſt, à quo amandus,

dus, & quem viciſſim Pater cœleſtis amaturus ſit Joh. 14. v. 23. quid hoc eſt aliud, quàm diſertis verbis finire, QUID SIT INCOLERE ANIMAM? ſcil. *& amare DEum, & ab eo viciſſim cognoſci*, ut amandum, 1. Cor. 8. v. 3. quorundam ſuperiorum.

§. 296.

Quod ſi ita eſt, & oratorem, in ſacris optimum, ſumma ſapientia ac facundia, i. e. λόγος, non incolere nequit; nec ille ſummam ſapientiam non intelligere, non ſentire, non demum amare, quantum capit vita mortalis, poteſt: quanti ſit, animum DEI gratia ſuffultum, per omnes eruditionis theologicæ campos, circumgeſtare paſcendum, vel, me tacente, nunc tandem intelligitur. oratori ſacro eſſe docto expedit

§. 297.

Sed ad reliqua nos vocat, his breviter propoſitis, ordo, inſtitutique conſilium. Supereſt quarta ſapientiæ, quâ ôratoria primum continetur, notio, quæ ad **honeſti** explicationem pertinet. tranſitus ad reliqua

§. 298.

Nimirum oratoria adpellata à nobis ſapientia fuit. Sapientia eſt veritatis, de qua hactenus, nec non honeſti, ſcientia & amor. Cum igitur, præter veritatis ideam, & ſcientiæ & amoris notiones explicatiores reddiderimus; reſtat ut de honeſto nonnulla dicamus. ratio tranſitûs

§. 299.

Honeſtatem philoſophi accuratius determinare ſi voluiſſent: de juris naturæ principio forſan non diſputâſſent. Qui enim honeſtum ge- Honeſtas quid?

neratim definitione accurata explicare, ideoque ejusdem characterem primum, & neceſſarium aſſignare poteſt: is eâdem operâ omnes concluſiones, quæ ſub idea generali comprehenduntur, elicere ac demonſtrare docet.

§. 300.

definitio honeſti

HONESTUM EST, me judice, QUIDQUID NATURAM EORUM, QUI RATIONE PRÆDITI SUNT, AUGET ET PERFICIT, aut vero PERFECTISSIMAM DECLARAT.

§. 301.

honeſtum DEI & hominis

Prius illud perſonarum eſt, quæ creatæ ſunt, decus ac ornamentum; poſterius ipſius creatoris.

§. 302.

explicantur definitionis verba

Vocabulum (*augere*) cujus in definitione feci mentionem, priſcæ latinitatis ſignificatu denotet, adjuvare, provehere &c. Sic enim Plautus in *Menæchm.* Act. III. ſcen. 3. vers. 27.

Di me equidem omnes adjuvant, augent, amant.

§. 303.

explicatur alia ejus vox

Memini præterea NATURÆ illius, in quam cadit ratio: non hujus aut illius, individuæ, *aut ſaltim particularis: ſed generatim* omnis.

§. 304.

in quem finem?

Memini, inquam, ejus rei, nequis in eo duntaxat honeſtatem collocatam putet, ut ſuæ uni naturæ privatim proſpiciat, rejectâ utilitatis, ad omnem naturam λογικὴν pertinentis, & ejus quidem publicæ, curâ.

§. 305.

§. 305.

Neque enim naturam λογικὴν auget aut per-icit, qui ſe ſibi tantum natum eſſe putat, bo-iumque privatum publico anteponit. confirmatur

§. 306.

Bonum minus majori antepoſitum mali rati-ónem induit. Qui decem lucrari poteſt, cum quatuor aureorum quæſtum non dubitat præ-ferre: ille ſex eorum damnum facit. Detri-nentum igitur reportaſſe cenſendus eſt. probatur alio modo

§. 307.

Itaque, qui ſuæ tantum naturæ curam gerit, parvi pendens, ſive aliorum naturæ deroget, ſive minus, etiamſi illam præſtantiſſimis exco-ere virtutibus ſtuderet: is ab honeſtate receſ-ſiſſe judicari debet. continuatur

§. 308.

Quamobrem? Quia privatum bonum, quod procul omni dubio, minus eſt, majori, quo publicum loco habetur, anteponit. privata honeſtas & publica colliſa.

§. 309.

At enim vero ſtultus eſt, inquis, *qui, quod bonum ſuum eſt, etſi duntaxat privatum, publico quidem, ſed alieno, poſtponit.* objectio

§. 310.

Carneadis ea fuit cavillatio facillime retun-denda: de qua quidem Lactantius L. V. de ju-ſtitia cap. 14. p. 263. edit. Cantabrig. 1685. Carneadis

§. 311.

Quæ verò cauſa ſit, ait, *ut eos qui ſapien-tes ſunt ſtultos putent; magna ratio eſt nec enim fruſtra falluntur. Quæ nobis diligenter* recenſetur

eſt

eſt explicanda, ut errores ſuos tandem ſi fieri poſſit, agnoſcant.

§. 312.

continuatur *Juſtitia ſuapte natura, ſpeciem quandam ſtultitiæ habet; quod ego & divinis & humanis teſtimoniis confirmare poſſum. Sed nihil fortaſſe apud iſtos agemus, niſi eos de ſuis doceamus auctoribus, non poſſe quemquam juſtum eſſe, quod eſt conjunctum cum vera ſapientia, niſi idem ſtultus eſſe videatur.*

§. 313.

continuatur *Carneades, academicæ ſectæ philoſophus, cujus in diſſerendo quæ vis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, qui neſcit, is ex prædicatione Ciceronis intelliget, aut Lucilii, apud quem diſſerens Neptunus de re difficillma, oſtendit non poſſe explicari, nec ſi Carneadem ipſum orcus remittat.*

§. 314.

continuatur *Is cum ab Athenienſibus Romam miſſus eſſet, diſputavit de juſtitia copioſe, audiente Galba, & Catone cenſorio, maximis tunc oratoribus* (oratoria enim tum ſola propemodum in litteris verſata fuit, manifeſtiſſimo illius cum his penes antiquos nexu) *ſed idem diſputationem ſuam poſtridie, contraria diſputatione ſubvertit.*

§. 315.

argumenta Carneadis Quibus vero argumentis Carneades uſus eſt, ut ſuam de honeſtate aut juſtitia (hactenus enim perinde eſt illamne, an hanc adpelles) ſententiam poſtero die confutaret? Præter cæteros illorum mentionem Lactantius, modo laudatus, facit, cap. 16. p. 267.

§. 316.

§. 316.

Carneades ergo, inquit, *quoniam erant infirma, quæ à philoſophis afferebantur, ſumſit audaciam refellendi, quia refelli intellexit. Ejus diſputationis ſumma hæc fuit:* recenſentur

§. 317.

Jura ſibi homines pro utilitate ſanxiſſe, ſcil. varia pro moribus; & apud eosdem pro temporibus ſæpe mutata; jus autem naturale eſſe nullum, omnes & homines & alias animantes AD UTILITATES SUAS NATURA DUCENTE FERRI, *proinde, aut nullam eſſe juſtitiam; aut, ſi ſit aliqua, ſummam eſſe ſtultitiam*, QUONIAM SIBI NOCERET ALIENIS COMMODIS CONSULENS. continuantur

§. 318.

Verum enim vero hæc non magnopere curanda ſunt. Qui enim naturæ λογικῆς, quantum poteſt, omnis, in omni deſtinatione & externo opere, ante oculos præfixam habet culturam & conſervationem; ſeu, quod eodem ſpectat: qui bonum publicum, aliquando cum privato colliſum, huic anteponit, idem in ipſo bono publico ſuam ipſius privatam utilitatem pleniorem invenit. refutantur

§. 319.

Quod ſiniſtra manu dediſſe ſibi & amiſiſſe viſus eſt, id dextra recuperat duplici fœnore, niſi forte fuerit, ut mentis contemta paupertas, & res anguſta domi, i. e. parva in rebus perſpicacia, eum impediat, quo minus publicæ ſaluti refutationis argumentum

luti utiles actiones, mox majori lucro penſandas, credere, & velut mutuò dare audeat.

§. 320.

aliud — Tam vera hæc ſunt, quam quæ veriſſima, cum univerſorum, i. e. plurium quà ſociati ſunt, utilitas, ad ſingulos non pertinere ſociatos non poſſit.

§. 321.

quid ſint univerſi? — Univerſos autem, quorum utilitas publica dicitur, non eſſe niſi, ſingulos, quà ſociatos cum ex innumeris, tum, ne plura, & remotiora allegem, ex illo tritiſſimo Nepotis loco cognoſcitur. Imperator. II. cap. 4. §. 2.

§. 322.

ex loco Nepotis — Verba hæc ſunt: *cujus fama perterriti claſſiarii cum manere non auderent, & plurimi hortarentur, ut domos ſuas diſcederent, mœnibusque ſe defenderent; Themiſtocles unus reſtitit, &* UNIVERSOS ESSE PARES *ajebat diſperſos teſtabatur perituros.*

§. 323.

inde ſequitur univerſorum utilitas præponenda — Ex quo loco non vocabuli tantum ſignificatus elucet, ſed & tanquam illuſtri exemplo cognoſcitur, SALUTEM UNIVERSORUM eſſe SINGULORUM; illorum igitur utilitati i. e. honeſtati ſtudendum eſſe, ob rationem quam §. 308. allegatam vidimus.

§. 324.

excipitur caſus in atheiſmi hypotheſi — Sed ab uno caſu diſcedendum eſt, ſi DEum exſiſtere neges, ſi animas prives immortalitate. Tum enim publicæ utilitati ſtudendum quidem etiam ex impia hypotheſi erit, ſed eousque, dum vita non ponenda ſit.

§. 325

§. 325.

Quæ enim in illum utilitas redundare poteſt, ob quam tamen ſaluti publicæ opera navatur §. 318. 319. cui vitam, i. e. utilitatis perfruendæ fundamentum evertiſti? probatur exceptio

§. 226. huic occurritur DEI & immortalitatis doctrinâ.

Itaque ſine DEI notione, ſine animæ immortalis fide explorata, mortem pro bono publico oppetendam eſſe, nullo confeceris argumento.

§. 327.

Quis non eos falli videat, qui eadem officia atheo neceſſaria demonſtrari poſſe affirmant, quæ, quibus DEum exſiſtere perſuadetur, devinciunt. conſectarium

§. 328.

Hoc ſenſu ſine dubio illa illuſtr. Wolffii verba capienda, quæ in libro: *vernünfftige Gedancken von der Menſchen Thun und laſſen* p. 15. 16. §. 21. ſeq. occurrunt. ſententia cel. Viri

§. 329.

Atheum per impias opiniones vitæ ſolutioris ſpe lactari negat, cum vel ignorato DEO, in ipſa actionum natura recte agendi argumenta ita ſint. breviter indicatur

§. 330.

Uti vero recte agendi motiva, quæ vocant, ex eo ſemper deſumuntur, quod omnis publica utilitas, tandem & ſingulorum evadit: i. e. quod omne honeſtum utile: ita, quoniam hæc ratio apud eum, qui DEum exſiſtere ſive negat, ſive ignorat (quamvis id fieri diutius non poſſit) ceſſare occipit in eo caſu, ubi mors pro publico fundamentum ejus explicandæ

lico

lico oppetenda eſt; ſane nulla ratio ejus adeundæ relinquitur.

§. 331.

continuatur

Deum autem ſi exſiſtere, ideoque boni omnis remuneratorem eſſe, habeas exploratum Hebr. 11. v. 6. tum & ipſam mortem, honeſtatis cauſſa, aditam, condigno pro juſtitia afficiet præmio: **& omne honeſtum reddet utile.**

§. 332.

explicatio ipſa.

Itaque & atheus recte agendi argumenta, negato quamvis DEO, intelligit, ſed non in omnibus, graviſſimisque, mortem pro univerſorum adeundi utilitate, officiis. Quæ tamen & ipſius illuſtris viri ſententia eſt.

§. 333.

Leibnitii teſtimonium

Cedro digna Leibnitii verba, ſi hoc loco præterirem, meum mihi inſtitutum, quod ad antecedentia teſtimonio roboranda pertinet, non ſatis viderer exſequutus. Verba ejus in laudat. præfat. ad cod. diplom. p. 6. ita habent:

§. 334.

idem continuatur.

Æquitas ſive caritas ad majus aliquid contendit, ut dum quisque alteri prodeſt, quantum poteſt, felicitatem ſuam augeat in aliena.

§. 335.

continuatur

Quod vero ipſam vitam, & quidquid hanc vitam expetendam facit, magno commodo alieno poſthabere debeamus, ita ut maximos etiam dolores in aliorum gratiam perferre oporteat; magis pulcre præcipitur à philoſophis, quàm ſolide demonſtratur.

§. 336.

§. 336.

Ut vero univerſali demonſtratione conficiatur, omne honeſtum eſſe utile, & omne turpe damnoſum, aſſumenda eſt immortalitas animæ, & rector univerſi DEus. continuatur

§. 337.

Huic igitur qui animam impendit, Chriſto docente, eam lucratur. Hujus potentiâ providentiaque efficitur, ut omne jus in factum tranſeat, ut NEMO LÆDATUR NISI A SE IPSO. *ut nihil recte geſtum ſine præmio ſit, nullum peccatum ſine pœna.*. Hactenus ille. clauditur

§. 338.

Idoneis tandem argumentis vicimus, utilitati publicæ i. e. honeſtati ſtudendum propterea, quod omnis univerſorum opportunitas tandem fiat ſingulorum: idque contineri diximus illa definitione, quâ id honeſtum eſſe declaratur, quod naturam λογικὴν auget & perficit omnium & ſingulorum. quid inde ſequatur?

§. 339.

Sane & veteres huc reſpexerunt, quoties naturæ convenienter vivendum eſſe, pronuntiârunt. Quid enim eſt naturæ tam conſentaneum, quam ut natura minime per malitiam deſtructa, aut labefactata ſaltim, ſubinde excolatur, augeatur, perficiatur? conſenſus veterum

§. 340.

Tullius id ſignificat de finibus bon. & mal. L. IV. & Tom. IV. edit. Gothofr. p. 131. lit, A. *Atque ipſa inſtitutio hominis,* inquit, *ſi loqueretur, hæc diceret: primos ſuos quaſi cœptus* Ciceronis

adpetendi fuiſſe, ut ſe conſervaret in ea natura, in qua ortus eſſet.

§. 341.

reliqua Ciceronis verba

Probaturus deinde, non unius tantum in natura λογικῇ partis rationem habendam, non ſolius rationis, verum & corporis, ita pergit: *nondum autem explanatum ſatis erat, quod maxime natura vellet: explanetur igitur, quid ergo aliud intelligitur niſi ut æqua pars naturæ negligatur? In qua ſi nihil eſt præter rationem, ſit in una virtute finis bonorum; ſin eſt etiam corpus iſta explanatio naturæ nempe hoc fecerit, ut ea, qua ante explicationem tenebamus, relinquamus.*

§. 341.

Senecæ auctoritas

Clarius in hanc rem Seneca ſcribit, de vita beata, cap. 8. p. 654. edit. Fr. Morell. Pariſ. *Idem eſt ergo*, ait, beate *vivere & ſecundum naturam.*

§. 343.

Hoc quid ſit jam aperiam. Si corporis dotes & apta naturæ conſervabimus diligenter & impavide, tanquam in diem data & fugacia: ſi non ſervierimus eorum ſervitutem, nec nos aliena poſſederint, ſi corpori grata & adventicia eo nobis loco fuerint, quo ſunt in caſtris auxilia, aut armaturæ leves, ſerviant iſta, non imperent: ita demum utilia ſunt menti, Incorruptus vir ſit externis, & inſuperabilis miratorque tandem ſui, fidens animi & in utramque paratus, artifex vitæ.

§. 344.

§. 344.

In quo quidem falluntur omnes Ethnici. Nam ſi nulla ratio naturæ convenienter vivendi, ſeu noſtrâ linguâ, naturam univerſorum λογικὴν excolendi, augendi, perficiendi, datur, præter illum ſenſum admirationis & voluptatis, qua vir honeſtus ſe ipſum contemplatus afficitur; ſi nulla alia cum honeſto utilitas conjuncta quam hæc eſt: vereor ut in illius amorem plures propendeant. At rectiora paulo ante ſumus edocti. OMNE HONESTUM UTILE vel in ſe eſt, vel ſingulari redditur divinâ providentiâ. judicium de hac ſententia

§. 345.

Contra omne turpe damnoſum, quia naturam λογικὴν, non auget, ſed labefacit, non excolit, ſed dejicit. Et licet turpitudinis actio per ſe non dejiceret, divinâ tamen providentiâ futurum eſt, ut, OMNI & UNA turpitudine, ſibi maxime detractum eſſe, natura λογικὴ tandem perſenſura ſit. omne turpe damnoſum

§. 346.

Habeo iterum conſentientem Tullium, in offic. L. III. cap. 5. §. 5. *detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis.* teſtimonium Ciceronis

§. 347.

Addit continuo rationem: *nam principio tollit convictum humanum & ſocietatem. Si* reliqua ejus verba

enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quisque commodum ſpoliet, aut violet alterum, disrumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem. Ut, ſi unumquodque membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traxiſſet: debilitari & interire totum corpus neceſſe eſt.

§. 348.

nova ratio ſequendæ utilitatis publicæ. Ex his nova ratio gliſcit, ſtudio ut flagremus, naturam excolendi λογικὴν omnem, univerſorum pariter ac ſingulorum, & in utrorumque pugna, illam anteponendi: quia quod quisque juris ſeorſum ſibi ſumit, non habita ratione naturæ univerſorum: id reliquis competit omnibus.

§. 384.

confirmatur Si quis ergo hac ſe facultate morali pollere putat, ut ſe ſuaque tantum, neglectis cæteris, curet: reliquis idem faciendi jus exſiſtit: quo ſemel admiſſo, ut Ciceronis ſimili, §. 347. propoſito, patet, bellum omnium orietur in omnes, *labefacta naturâ* non univerſorum duntaxat, i. e. quà ſociatorum, ſed & ut fit, ſingulorum omnium.

§. 349.

utilitas publica & honeſtas eadem Honeſtum igitur, quia in ſtudio naturam λογικὴν excolendi & augendi collocatur, tandem, quousque patet, ad utilitatem publicam referri, clariſſime intelligitur.

§. 350.

conſectarium. Nemini igitur vere quidquam prodeſt, niſi amor

amor honeſtatis, nemini quidquam nocet, niſi turpitudinis cupiditas. Nemo læditur niſi à ſe ipſo.

§. 351.

Graviſſimarum viris honeſtis incumbentium calamitatum onera, patienti fortique perlata animo, ſumtibus mercatorum ſimilia ſunt, quos hâc lege & ſpe impendunt, ut ſortem univerſam majori cum lucro perſatam recipiant. Amittit centum, qui mille recuperat. Quæ igitur noviſſime tantum quæſtum inferunt, calamitates viris oppoſitæ honeſtis, quî quæſo nocere unquam poſſint? objectio ſolvitur

§. 352.

Illa animi convictio, quâ omne honeſtum utile futurum *explorato credit*, ſeu, ſtylo ſcripturæ Hebr. 11. v. 6. DEum ſe colentibus i. e. honeſtum ſequentibus, (qui enim hoc colit, DEum colit, teſte Chriſto Joh. 15. v. 8. & alibi) remuneratorem futurum eſſe, certa præcipit πληροφορία, jure ſuo dicitur FIDES. Fides generalis quid?

§. 353.

Hæc fides generalis eſt, ipſi, ut ex hactenus dictis patet, non ignota rationi, quam cum animo concipere non poſſis, niſi præteritorum omnium honeſte & præclare factorum memoriâ ſuffultus, niſi & adjutus maxima tum vi, tum mentis firmitate, in futurum eadem premendi honeſtatis veſtigia, ne, obliquam turpitudinis eſt rationi cognita, ſed non impetrabilis

viam calcando, DEum haud remuneratorem, ſed judicem, ſentias: neceſſe eſt tam de PRÆTERITO quam de FUTURO tibi cautum ſit.

§. 354.

cur primo? Sed cautum tibi eſſe non poteſt de PRÆTERITO, in quo multa turpiter feciſti, ad provocandas DEI pœnas infauſto ſidere nata, niſi cum offenſo in gratiam DEO redeas.

§. 355.

cur ſecundo? Nec de FUTURO tibi eſſe proſpectum poterit, propullulantibus ex animo, in immenſum pravarum cupiditatum torrentibus, niſi nova vis & animi firmitas ingeneretur, ſequendi poſthæc honeſtum omne.

§. 356.

quomodo impetretur ergo? Utrumque tibi à Chriſto confertur: qui & ſuo ſanguine PRÆTERITAS CULPAS expiat, & ſuo ſpiritu, novas vires, novam animi indolem addituro, FUTURA, quæ eſſent, PECCATA CAVET.

§. 357.

obſervationis uſus Quid his nervoſius, ad totius theologiæ medullam pertinentibus, dici poſſet? ſed id eo ſpectat, ut, quantum philoſophiam Theologia ſuppleat, cognoſcas. Patet ex hoc etiam, fidem hanc generalem obtineri non poſſe, niſi adjumento ſpecialis, quæ Chriſti munere duplici, ad præterita pariter, ac ad futura relato, nititur. Quod intelligendo oraculo Heb. 11. v. 6. inſervit.

§. 358.

probatur Duplex id Chriſti munus à Chriſto partum diſertis

diſertis ſcriptura verbis teſtatur. Primo quidem 2 Cor. 3. v. 9. τὴν διακονίαν τῆς δικαιοσύνης, *miniſterium juſtitiæ*, quæ propter PRÆTERITA DEO placat, Rom. 3. v. 25. laudavit Paulus. ex ſcriptura primum.

§. 359.

Poſt vero deprædicat 2. Cor. 3. v. 8. τὴν διακονίαν τῦ πνεύματος, *miniſterium ſpiritûs*, quod ad exſtinguendos mali FUTUROS adpetitus pertinet, uti, quid per ſpiritum futurum ſit, manifeſtiſſime ex Gal. 5. v. 16. intelligitur. probatur ſecundum.

§. 360.

Hâc divina duplici methodo aboletur turpitudo omnis: quarum altera, æſtimatione forenſi, Servatoris meritum tanti eſſe declarat, ut per illud, quod per peccata noſtra publicæ rei illatum detrimentum fuit, jamjam penſatum eſſe cognoſcatur; primi muneris neceſſitas

§. 361.

Altera vero methodus, operatione efficaci, quod in poſterum detrahi per peccata poſſet naturæ λογικῇ, in contrarium nitendo, & animum ad honeſtatis ſtudia retrahendo, aſſidue avertit, & amolitur. ſecundi

§. 362.

Si poſteriorem methodum ſolam eſſe putes neceſſariam, tum præteritarum culparum ratio habebitur nulla. Indigni autem ſunt, quibus ſpiritum, ad honeſta quævis formantem, impertiatur DEus, qui nondum ei conciliati ſunt: aliter ſapientia ejus, quæ lacunas explere omnes ſolet, & à peccatoribus invectas, immenſoque rerum ordini turbando, coortas, de primi iterum neceſſitas

præteritis criminibus exſtinguendis ſolicita non eſſet.

§. 364.

ſecundi Si poſteriorem methodum DEus unam adhibere, & de de futuris peccatis cavendis proſpicere nollet; nova ſubinde, deſtinato conſilio, commiſſa crimina, reditum in gratiam, de præteritis culpis initum, refricarent, &, priſtinis vulneribus recrudeſcentibus, pacem cum DEO factam, denuo juberent eſſe irritam. Pernecesſaria igitur eſt methodus utraque.

§. 364.

primi neceſſitas aliter probata. Nam neque præterita peccata aliter deleri poſſunt, quam quidem adhuc ſunt (ſunt autem nonniſi hodie judicio forenſi, quo pœnis æſtimari digna poſſunt,) phyſicῶς non amplius exiſtunt, quia præterita ſunt; facta autem præterita, infecta φυσικῶς fieri non poſſunt:

§. 365.

ſecundi Neque futura aliter caveri poſſunt, quam operatione phyſica; ea enim, quæ olim mala commiſſurus es, ante peccaturo condonare, judicio forenſi, quo pœnarum nexus decernitur, aut aufertur: quid aliud, quæſo eſſet, quam te, futura impunitate propoſita, ad peccandum inſtigare, ideoque promovere, non cavere peccata?

§. 366.

conſectarium. Vides igitur, & eos errare, qui cum Socinianis, plurimos hodie aſſeclas, ſub ſumma pietatis ſpecie, habentibus, forenſi peccata judicio, absque compenſatione publicæ utilitatis,

quâ

quâ huic fieri, quod ſatis eſt, debet, tollenda eſſe negant: & illos inſanire, qui Epicureorum more, de futuris parum ſoliciti, conciliati Deo eſſe volunt, nec tamen non in poſterum peccata, fomenta continuandæ adverſus DEum inimicitiæ, proſequi & continuare.

§. 367.

Quorſum hæc omnia, quæſo, tam copioſe diſſeruntur? Ut intelligamus, quæ genuina ſit honeſtatis notio? tum quod collocetur in una utilitate naturæ λογικῆς publica; præterea quod illius quidem ſtudium ſuſcipi, ideoque honeſtatis amor à peccatore utilis reddi nequeat ſine Chriſti opera bipartita; denique, quod oratoria, quæ naturam λογικὴν & ῥητορικὴν auget & perficit, ab honeſtatis ſtudio ſejuncta eſſe nequeat. ſcopus eorum quæ adhuc expoſui

§. 368.

Et quomodo ab honeſtatis amore ſeparata eſſe ars oratoris poſſet? Cum, quidquid naturam auget humanam, quod facit oratoria, mentem ſcientiarum ornamentis excolendo, ſermocinandi facultatem eximio lepore & gratiis perpoliendo, juſtum, honeſtum, & naturæ conſentaneum ſit. oratori honeſtatis ſtudium convenit

§. 369.

Quot in humana vita ordinum variantes ſpecies, quarum alia ingenii viribus, alia multo rerum uſu, indeque pendula conſultandi dexteritate, alia rerum geſtarum tenaci memoria, alia manuum adſiduarum operibus, alia auctoritate imperii, alia denique armorum vi & efficacia, ejus ars omni hominum generi aliquomodo neceſſaria

cacia, naturam λογικὴν augere, beatioremque reddere ſtudet: tot quoque ſunt honeſtatis diverſæ claſſes: ſolâ autem eloquentiâ omnes continentur; quâ ſi non univerſa excoli omnibus licet: nulla tamen humanæ vitæ pars eſt, cui non expediat, ſi ornate & excellenter nequeat, ſaltim perſpicue, comiter, & accommodate loqui: quibus, quantopere per omnia honeſtatis ſtudia eloquentiæ ſplendor diffundatur, nemo eſt quin, me tacente, ſentiat.

§. 370.

probatur Sejungi præterea ab honeſtatis amore oratoriam non poſſe, illud arguit, quod Plutarchus in ſeptem ſapientum convivio pereleganter condocuit. Sic enim pronuntiat. T. II. edit. Xyl. p. 153. lit. D.

§. 371.

teſtimonio Plutarchi Τί ὠφελιμώτατον; ἀρετή. καὶ γὰρ τἄλλα τῷ χρῆσθαι καλῶς ὠφέλιμα ποιεῖ. Τί βλαβερώτατον; κακία. καὶ γὰρ τὰ πλεῖστα βλάπτει παραγενομένη. *Quid utiliſſimum? virtus: hæc enim reliqua etiam recte utendo utilia facit. Quid damnoſiſſimum? animi vitium: hujus enim præſentia plurima bona corrumpuntur.*

§. 372.

applicatur Si virtutis ſtudio fiunt utiliora omnia; quid non eloquentiæ honeſtatis amor addet? ſi vitio depravantur omnia; quomodo orator eo contaminatus artis ſuæ quandam præſtantiam conſequi poſſit?

§. 373.

tranſitus Sed à generali honeſtatis idea, ad ejus quasdam

dam ſpecies deſcendendum eſt. Illas claſſes conſtitutas videbimus, tum illorum bonorum notione, quibus natura λογικὴ augenda eſt; tum vero etiam ex conſideratione partium quibus natura ratione prædita contineri ſolet. ad honeſtatis ſpecies

§. 374.

Bona illa, quibus augeri naturam ratione gaudentem oportet, aut extremam miſeriam propulſant, inde naſcitur infimus juris naturæ gradus, aut ulteriorem felicitatem, ſeu opportunitatem addunt, pro cujus deinde menſura reliqui juris naturæ adſcenſus exſurgunt, varie deſignandi. fundamentum illarum ſpecierum

§. 375.

Summa exſiſteret miſeria, ſi cuique quidvis in quemvis liceret: tum enim non ſolum orirentur, ſimultates, orirentur rixæ, orirentur funeſtæ pugnæ, quas ne ſic quidem legis ſanctiſſima auctoritas, ſufflaminare ſubinde poteſt; ſed & hæ ſæpius, prætextu majori, minoribus, quin imo nullis impedimentis, non tolerabili, non acerbo, ſed atrociſſimo modo, exſiſterent. infimus gradus honeſti, avertenda miſeria

§. 376.

Quis tum ſecurus, quis non calamitoſus, quis non longe infeliciſſimus eſſet? Nulla heic quies, nulla ſecuritas, nec vitæ ipſius, ne ad momentum quidem temporis. probatur

§. 377.

Exemplo illa ſunt loca, in queis animo & manu hoſtili gentibus gentes arma funeſta inferunt. Omnia belligerantibus in omnes, etiam miſeros, inermes, ſupplices, frumenta & commeatum exemplo

ſubve-

ſubvehentes, vacuata re familiari tuguria argento redimentes, ab incendiorum furoribus, licere putant; quo jure, non equidem heic deciderim.

§. 378.

uberius explicatô Quæ tum turbæ, quæ mala, qui clamores, qui gemitus non cooriuntur? Quanto atrocior eventus exſpectandus foret, ſi non populi duntaxat ſinguli ſingulos, ſed cuncti cunctos, non uno tempore, ſed omni, non certo loco, ſed undique, laceſſerent, impugnarent, everterent, atque deſtructum irent penitus.

§. 379.

teſtimonio Pauli Nervoſe hanc miſeriam Paulus deſcribit, Gal. 5. v. 15. εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε, βλέπετε, μὴ ὑπὸ ἀλλήλων ἀναλωθῆτε.

§. 380.

Quod ſi alius alium viciſſim mordetis & arroditis, ne alius ab alio conſumamini, quaſo, cavete.

§. 381.

applicatô Quibus verbis, quantum mutuæ injuriæ malorum inferant, quoque res tandem vergat, ſatis luculenter innuitur.

§. 382.

inde duo decantata præcepta Ex his igitur duo illa decantatiſſima juris naturæ præcepta: *neminem lædendum, ſuum cuique tribuendum*, avertendæ extremæ miſeriæ perneceſſaria eſſe, evidenter perſpicitur.

§. 383.

ſed infimi gradus Sed cum tamen ſummam duntaxat miſeriam avertant, nec quidquam naturæ rationali addant ulterioris felicitatis: juris naturæ gradum inferiorem fundant.

§. 385.

§. 384.

Quem non ignotum Ethnicis fuiſſe, præterquam quod nemo, qui neget, quod ſciam, exſiſtat, clariſſime ex illis verbis, quæ mille teſtimoniorum eſſe loco poterunt, perſpicitur, apud Cic. offic. L. I. cap. 6. §. 3. Ethnicis non

§. 385.

Sed juſtitiæ primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſſitus injuria, deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis ut ſuis. Ciceronis teſtimonio

§. 386.

Addit §. 5. *ex quo, quia ſuum cujusque fit; eorum, quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat. Ex quo ſi quis ſibi appetit; violavit jus humanæ ſocietatis.* ulterius

§. 387.

De juſtitia hac autem, quæ ſuum cuique tribuit, non diceremus, niſi eandem ad oratoriæ etiam ſtudium inprimis pertinere, exiſtimandum eſſet. Oratori juſtitia convenit

§. 388.

Quis non deteſtetur Demagogos omnia civitatis inſtituta pervertere facundia conatos, ideoque ab eloquentia, infauſto divortio, juſtitiam ſeparantes? cur?

§. 389.

Gracchorum eloquentia in Romanorum ſcriptis multum celebrata eſt: de qua Quinctil. L. I. cap. 1. edit. Obr. p. 7. *Gracchorum eloquentiæ multum contuliſſe accepimus Corneliam matrem, cujus doctiſſimus ſermo in poſteros quoque eſt epiſtolis traditus.* Gracchi eloquentes

§. 391.

§. 391.

à quo formati? A tam docta & chara magiſtra formari non potuit, niſi diſcipulus facundia valens. Quamobrem idem auctor. L. XI. cap. 3. p. 671. edit. cit ſtupendum efficaciſſimæ eloquentiæ exemplum prodit:

§. 392.

ſpecimen facundiæ *Eâdem*, inquit, actione ſcil. oratoria, *C. Gracchum in deflenda fratris nece, totius populi romani lacrymas concitaſſe.* Quid tali & tanta poteſt majus cogitari facundia?

§. 393.

ſed pernicioſæ. Sed ut facundiſſimi fuerit oris, certe etiam ingenii turbulenti, &, ad facem tubamque, rebus jam per ſe exulceratis, addendam, aptiſſimi fuit.

§. 394.

probatur Valerius Maximus eam in rem ita ſcribit: *sed ut propoſiti fides in perſonis illuſtribus exhibeatur, C. Gracchus eloquentia, quam propoſiti, felicioris adoleſcens* (animadverte præconium oratoris, qui à juſtitia alienior exſiſtit) *quoniam flagrantiſſimo ingenio, cum optime rempublicam tueri poſſet, perturbare impie maluit.*

§. 395.

aliis teſtimoniis Sordet apud Romanos Gracchorum nomen, non aliam ob cauſſam, quam quod eloquentia ad res injuſtiſſimas exſequendas perperam uſi fuerint.

§. 396.

iterum Tullii Cicero de amicitia cap. 11. §. 3. ſcribit, *Tiberium quidem Gracchum, rempublicam vexantem*

tem, â Q. Tuberone æqualibusque amicis derelictum videbamus.

§. 396.

Gravius alibi, de offic. L. II. c. 12. §. 11. *Tiberius enim Gracchus, P. filius, tamdiu laudabitur, dum memoria rerum humanarum manebit: at ejus filii nec vivi probabantur bonis, & mortui numerum obtinent jure cæſorum.* aliud

§. 397.

Contra à nemine, quod equidem ſciam, Demoſthenes reprehenditur, qui Græciam omnem, adverſus Macedones, facundiæ ſuæ buccinâ, evocare non deſtitit. De quâ re Plutarch. in Demoſth. T. I. p. 853. litt. D. Demoſthenis alia ratio

§. 398.

Ἔπειτα πρεσβεύων καὶ διαλεγόμενος τοῖς Ἕλλησι, καὶ παροξύνων, συνέστησε, πλὴν ὀλίγων, ἅπαντας ἐπὶ τὸν Φίλιππον. ὥστε σύνταξιν γενέσθαι, πεζῶν μὲν μυρίων καὶ πεντακισχιλίων, ἱππέων δὲ διχιλίων κ. τ. λ. verba plutarchi

§. 399.

Mox in legationem profectus, convenit civitates græcas, ſolicitavitque, atque omnes in Philippum, demtis paucis, concivit, ut præter urbanas copias, conſcriberent XV. millia peditum, & duo equitum. &c. latina

§. 400.

Cum enim pro libertate totius Græciæ, quæ bonum erat, reſpectu Macedonum habito, magis publicum, tantum laboris ſuſciperet & vero honeſtas omnis, majus, ideoque publicum, aut magis publicum preferat privato, ſeu minus publico: cur Demoſthenes juſti-[?]

publico : profecto neceſſe eſt, Demoſthenem non magnopere objurges.

§. 402.

Cæſaris facundia — Cæſaris eloquentia, quis eſt, quem fugiat? Certe Suetonius cap. 55. p. 27. edit. Amſtel. 1658. eam his laudat verbis :.

§. 403.

teſtimonio probata — *Eloquentia militarique re aut æquavit præſtantiſſimorum gloriam, aut exceſſit. Poſt accuſationem Dolabellæ haud dubie principibus patronis adnumeratus eſt.*

§. 404.

continuato — *Certe Cicero ad Brutum, oratores enumerans, negat ſe videre, cui Cæſar debeat cedere, aitque eum elegantem, ſplendidam quoque, ac etiam magnificam ac generoſam quodammodo rationem dicendi tenere.*

§. 405.

continuato — *Et ad Cornelium Nepotem de eodem ita ſcripſit : quid ? oratorem, quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt ? Quis ſententiis aut acutior, aut crebrior, quis verbis aut ornatior, aut elegantior?*

§. 406.

facundia injuſta — Sed hic tantus orator, quem ſua in finem facundia uſus ſit, Cicero idem alibi teſtis eſt; de offic. L. I. cap. 8. §. 8.

§. 407.

probatur — *Declaravit id modo temeritas C. Cæſaris, qui omnia jura divina atque humana pervertit, propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat, principatum.*

§. 408.

§. 408.

Et Libr. III. cap. 21. §. 13. *quanto plures*, inquit, *infideles, ei regi putas, qui exercitu populi populum ipſum romanum oppreſſiſſet, civitatemque non modo liberam, ſed etiam gentibus imperantem ſervire ſibi cöegiſſet.*

§. 409.

Quo animo tantus orator in colenda juſtitia fuerit affectus, ſummus orator, Tullius declarat, de offic. L. III. cap. 21. §. 3. aliud teſtimonium

§. 410.

Ipſe autem ſocer, ajens, *in ore ſemper græcos verſus de Phœniſſis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortaſſis, ſed tameu ut res poſſit intelligi:* ex Cicerone

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

§. 411.

Quæ in ipſo Euripide, Phœniſſ. Act. II. p. 100. edit. Stiblin. Baſil. ſic habent: ex Euripide

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ τυραννίδος πέρι
Κάλλιςον ἀδικεῖν τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

§. 412.

Abſit igitur ab oratore illa popularitas, ſeu tale plebis in partes trahendæ ſtudium, quod formare ſectas, excitare turbas poſſit. Niſi forte ex eo genere ſit, de quo in Stat. ſylv. L. II. num. 6. vers. 66-69. conſectarium

Et pharſalica bella detonabis
Et fulmen ducis inter arma divi
Libertate gravem pia Catonem
Et gratum popularitate magnum.

aut Valerii apud Livium L. VII. cap. 33. p.648. T. I. edit. Gronov. laudem mereatur: *& quo nihil popularius eſt, quibus artibus petierat magiſtratus, iisdem gerebat.* Quibus verbis non tam ambitione, quam modeſtia ductum, imperatorem popularem fuiſſe, innuitur.

§. 413.

ſecundus juris naturæ gradus

Quando à rationali natura, ſumma non tantum calamitas avertitur, propoſitis præceptis, de nemine lædendo, & ſuo cuique tribuendo; ſed & amplior ei affertur opportunitas, felicitasque: tum quidem ſecundus juris naturæ gradus exſiſtit.

§. 414.

Ciceronis conſenſus

Diſertis id verbis Tullius docet, de offic. L. I. cap. 6. §. 9. *In hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem.*

§. 415.

Leibnitii conſentientis

Non poſſum plenius hanc juris exponere gradum, quam verbis Leibnitii, præfat: laudata, loc. cit.

§. 316.

verba

Superiorem, inquit, *gradum voco æquitatem, vel ſi mavis caritatem (anguſtiore ſc. ſenſu) quam ultra rigorem juris meri, ad eas quoque obligationes porrigo, ex quibus actio iis, quorum intereſt, non datur, quâ nos cogant, veluti ad gratitudinem, ad eleemoſynam; ad*

qua

quæ aptitudinem, non facultatem habere Grotio dicuntur.

§. 417.

Et quemadmodum infimi gradus erat, nemi- nem lædere, *ita medii eſt,* cunctis prodeſſe; *ſed quantum cuique convenit, aut quantum quisque meretur, quando omnibus æque favere non licet.* continuata

§. 418.

Ita hujus loci eſt diſtributiva juſtitia, & præceptum juris, quod ſuum cuique (imperfecto jure debitum) *tribui jubet. Atque huc in republica politicæ leges referuntur, quæ felicitatem ſubditorum procurant, efficiuntque paſſim, ut, qui aptitudinem tantùm habebant, acquirant facultatem, ut petere poſſint, quod alios æquum eſt præſtare.* continuata

§. 419.

Et cum in gradu juris infimo non attenderentur diſcrimina hominum, niſi quæ ex ipſo negotio naſcuntur; ſed omnes homines cenſerentur æquales: nunc tamen in hoc ſuperiore gradu merita ponderantur, unde privilegia, præmia, pœnæ, locum habent. eadem

§. 420.

Quam graduum differentiam eleganter Xenophon adumbravit, Cyri pueri, qui inter duos pueros, quorum fortior cum altero veſtem per vim commutaverat, quod ſuæ ſtaturæ togam alienam aptiorem reperiſſet, judex lectus, pro prædone pronunciârat: ſed à rectore admonitus eſt, non quæri hoc loco cui toga conveniret, ſed cujus eſſet, niſi quando ipſe diſtribueret. eadem

§. 421.

eadem *Nempe ipſa æquitas nobis in negotiis jus ſtrictum, i. e. hominum æqualitatem commendat, niſi cum gravis ratio boni majoris ab ea recedi jubet. Perſonarum autem, quæ vocatur, acceptio ſuam non in alienis bonis commutandis, ſed in noſtris vel publicis deſtribuendis, ſedem habet.*

§. 422.

Tria honeſtatis ſecundæ munera Tria autem ſunt, quibus aliis utilitatem afferentes ſecundum conſcendimus honeſtatis gradum. Hominum generi opportuna detegere ac invenire; illud præclaris inſtitutis legibusque augere; aut ſaltim, cum hæc in quemque non cadant, juſtitiæ & liberalitatis exemplo, quam fieri poteſt, plurimis prodeſſe.

§. 423.

agricultura Agriculturam primo, deinde litteras, poſt geometriam, denique leges & civitatum inſtituta, qui ex veteribus primi invenerunt, de humano genere ſunt immortaliter meriti, & honeſtatis non infimum conſecuti gradum.

§. 424

ex mente ſcriptorum profanorum Omitto, quæ de his ſcriptura tradit, illos tantum, prout ſe memoriæ offerunt, laudaturus, qui à profanis ſcriptoribus hac laude digni cenſentur, idque nonniſi obiter.

§. 425.

Diodori Agriculturam, ſi Diodoro fides eſt, Oſiris primus reperit. Hiſt. Bibliothec. L. I. edit. Rhodom. 1604. p. 13. lit. B.

§. 426.

Τοῦ δὲ Οσίριδος ἐπινοησαμένου τὴν τούτων κατεργασίαν τῶν καρπῶν. ἡδέως δὲ μεταθέσθαι πάντας τὴν τροφὴν, διά δε τὴν ἡδονὴν τῆς φύσεως τῶν εὑρεθέντων, καὶ διὰ τὸ φαίνεσθαι συμφέρον ὑπάρχειν τῆς κατ᾽ ἀλλήλων ὠμότητος. μαρτύριον δὲ φέρουσι τῆς εὑρέσεως τῶν εἰρημένων τὸ τηρούμενον παρ᾽ αὐτοῖς ἐξ ἀρχαίων νόμιμον. abOſiride inventa

§. 427.

Oſiris frugum culturam ſolerter excogitavit, gratamque hanc alimoniæ mutationem accidiſſe (dicunt) *quod & natura inventorum voluptatem ſecum afferret, & à mutua tandem laniena ſibi temperare utile videretur. Pro teſtimonio inventarum frugum afferunt, ritum qui ab antiquo apud eos ſervatur.* verba latina

§. 428.

Litteras à Cadmo Græciæ illatas, Veteres crediderunt. Teſtem adpello Herodotum, ſcriptorem antiquiſſimum, qui L.V. cap. 58. p. 309. edit. Godofr. Jungerm. 1618. ſequentia tradit. litterarum in Græciam adpulſus

§. 429.

Οἱ δε Φοίνικες οὗτοι καὶ σὺν κάδμῳ ἀπικόμενοι, τῶν ἦσαν καὶ γεφυραῖοι, ἄλλα τε πολλὰ, οἰκήσαντες ταύτην τὴν χώραν, ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τοὺς ἕλληνας, καὶ δὴ καὶ γράμματα, οὐκ ἐόντα πρὶν ἕλλησι. verba Herodoti

§. 403.

Phœnices iſti, qui cum Cadmo advenerunt, quorum Gephyræi fuere, dum hanc regionem incolunt, cum alias multas doctrinas in Græciam introduxere, tum vero litteras, quæ apud Græcos, ut mihi videtur, antea non fuerunt. latina

§. 431.

ſt à Cadmo, ergo ab hebræis

Hæc autem inſtituta humano tam utilia generi, ab Hebræis profecta eſſe, præter alios multos, docet Euſebius, præparat: Evangel L. X. cap. 6. p. 474. edit. Franciſci Viger. Pariſ. 1628.

§. 432.

teſtimonio Euſebii

Ὧν, inquit, καὶ μάλιστα οὐκ ἀλλοτρία φαίνεται ἡ τῶν ἑλληνικῶν γραμμάτων φωνή. ἕκαστον γοῦν τῶν στοιχείων παρ' αὐτοῖς, κατά τινος σημαντικῆς διανοίας τὴν προσηγορίαν φέρει, ὅπερ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν παρὰ τοῖς ἕλλησι, διὸ καὶ μάλιστα μὴ ὄντα ἴδια ἑλλήνων ὡμολόγηται.

§. 433.

latine reddito

Et vero proxime ſane ad Hebræorum nomina, græcarum litterarum accedit adpellatio. Cum enim ſuum cuique apud Hebræos elemento nomen ſingulari quadam & propria ſignificatione attributum fuerit, quod apud Græcos profecto locum nullum habet, ſequitur omnino, ut minime Græcorum propria eſſe fateamur.

§. 434.

divinâ id providentiâ factum

Nempe DEI populo hæc tam ſalutaria generi hominum inſtituta originem debent, ut reliqui agnoſcant, quantum illi ſint obſtricti, qui Judæam gentem tot præclare inventis dotavit. Plura habet Bochartus in Phaleg, ſeu Geogr. p. 491. ſeq.

§. 435.

inventio geometriæ

Divina geometriæ ſcientia, ſi Straboni fides eſt, Geograph, L. XVI. p. 1098. edit. Wolters: anno 1707. litt. C. ab Ægyptiis primum inventa fuit.

§. 436.

§. 436.

De qua re citatus auctorita ſcribit: καθάπερ καὶ τῶν Αἰγυπτίων εὕρημα γεωμετρίαν φασιν, ἀπὸ τῆς χωρομετρίας, ἣν Νεῖλος ἀπεργάζεται, συγχέων τοὺς ὅρους κατὰ τὰς ἀναβάσεις. Straboɴis judicio

§. 437.

Sicut & Ægyptiorum inventum geometriam ajunt, ab agrorum dimenſione, qua opus eſt, cum Nilus auctus terminos confudit. Latius & de ea re diſſerit Herodotus L. II. cap. 109. p. 129. edit. citat. verba ejus latina

§. 438.

Legum de origine Tacitus perhibet illuſtre teſtimonium, in Annal. L. III. cap. 26. edit. Gronov. anno 1672. Ea res admonet, ut de principiis juris, & quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum ſit, altius diſſeram. legum origo

§. 439.

Vetuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna, aut cöercitionibus agebant: *neque præmiis opus erat: cum honeſta ſuopte ingenio peterentur*; (hæc magis in vitam paradiſiacam, quàm præſentem cadunt) *& ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.* apud veteres non neceſſariarum

§. 440.

At poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis incedebat; provenere dominationes: multosque apud populos æternum manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquam legum pertæſum, leges maluerunt. quando cœperint eſſe?

§. 441.

qualeſ primæ leges Hæ primo rudibus hominum animis ſimplices erant: maximeque fama celebravit Cretenſium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Athenienſium quæſitiores; jam & plures Solon perſcripſit.

§. 442.

ortus legum rom: Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus, & divino jure populum devinxit, repertaque quædam à Tullo & Anco: ſed præcipuus Servius Tullius ſanctor legum fuit, quîs etiam reges obtemperarent.

§. 443.

duodecim tabulæ Pulſo Tarquinio, adverſum patrum factiones multa populus paravit, tuendæ libertatis, & firmandæ concordiæ: creatique decemviri, & accitis, quæ usquam egregia, compoſitæ duodecim tabulæ, finis æqui juris.

§. 444.

judicium Quibus verbis perſpicua & brevis initiorum, quæ leges pleræque ceperunt, hiſtoria traditur.

§. 445.

de probitate primorum hominum Quamvis autem illam, Tacito viſam, primorum mortalium probitatem, ob ſcripturæ, Adami à DEO defectionem, docentis auctoritatem, credere prohibeamur: tamen ex hoc loco id certe quidem intelligitur, quomodo primi legum ſanctores, tum ad propulſandam extremam, tot propullulantibus hominum vitiis, miſeriam, tum ad majorem ſocietatum commoditatem promovendam, ex præſentis naturæ homi-

hominum conditione, talia ferendi inſtituta; prenſaverint occaſionem.

§. 446.

Similis fere cauſſa fuit conſtituendarum civitatum: quæ partim metu, partim majoris opportunitatis intuitu coaluerunt. Utrumque Cicero ſcribit, de offic. L. II. cap. 21. §. 9. cauſſæ civitatum

§. 447.

Nam etſi duce natura congregabantur homines, i. e. naturali majoris felicitatis inſtinctu obtinendæ, *tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant.* Tullii teſtimonio

§. 448.

Quid de recentioribus præſtantiſſimarum rerum inventoribus dicam, qui præſens hoc ævum, laudis immortalem conſecuti memoriam, multis utiliſſimis reddidere inſtructius?

§. 447.

Sanguinem, qui in venis ſalit noſtris, redire in orbem, protruſum à cordis palpitatione per arterias, rediturum per venas, affabre in eum finem conſtructas, utiliſſima medicinæ filiis ſcientia eſt, à Guil. Harvæo primum inventa, cui quidem palmam dubiam faciunt Paulus Sarpius, & Cæſalpinus. circulatio ſanguinis

§. 448.

Venas lacteas Caſpar Aſellius detexit primus. Microſcopiis uti docuerunt, Corn. Drebbellius, Anton Leuwenhock, celeberrimum in phyſica nomen, Rob. Hockius, Petr. Borellus, quibus alii Ludovicum Septalium anteponunt. venæ lacteæ microſcopia

§. 449.

Tubi optici ſatellites ſaturni

In tubos opticos & ſecundarios Jovis planetas primus incidit Galilæus à Galilæis, alii quidem Simonem Marium ſubſtituunt. Saturni ſatellites, Caſſinus & Huygenius viderunt primi.

§. 450.

maculæ ſolares

Maculas ſolares, an tanti ſit, inveniſſe, neque negaverim ego, neque adfirmaverim; certum eſt, eas Chriſtophoro Scheinero, ſeu ut aliis placet, Leoni Allatio, primum viſas.

§. 451.

Barometra Antlia pneumatica

Barometrorum, quantus uſus ſit, dici vix poteſt, quæ ſive Toricello, ſive Valerio Magno ſuam originem debent. Quis von admiratur Antliæ pnevmaticæ laudes, quas Otto de Guerike conſul Magdenburgenſis ſibi vendicavit?

§. 452.

Thermometra plantarum anatomia

Thermometra Cornelii Drebbelii, ſive Capucini, ut aliis placet, inventa ſunt. Anatomia plantarum, divinum propagandi phyſicæ fimbrias inſtitutum, Joh. Rajo, & Marcello Malpighio debetur.

§. 453.

calculus infiniteſimalis

Calculus infiniteſimalis, ſcientiarum hujus temporis, miraculum, ſive Newtoni, Angli, ſive Leibnitii partus.

§. 454.

ſpecula cauſtica

Specula cauſtica expolire ſingulari modo docuit Tſchirnhauſius: quamvis ea ars jam Archimedi frequentata fuerit. Vid. ſumme rev. Dn. Bülffingeri diſſert. *de ſpeculo Archimedis.*

§. 455.

§. 455.

Tacebo alios complures inventores, qui rerum præſtantiſſimarum inventione genus humanum ſibi mirifice obſtrinxerunt. *omitto alia*

§. 456.

Itaque id agere, eo ſua conferre conſilia, his occupari exercitationibus, ut, quæ aliis inſervire, quæ feliciorem reddere vitam, quæ majores afferre opportunitates poſſunt, anquiras, ſecteris, perveſtiges, non infimi gradus honeſtas eſt. *inventionibus prodeſſe honeſtatis non infimæ*

§. 457.

Erat tamen ſumtuoſiſſimum, quo Corinthus olim petebatur iter, ob incolarum & multitudinem divitiasque, & nauclerorum prodigalitatem: unde adagio factum fuiſſe locum, Strabo meminit, L. VIII. p. 581. edit Wolters, anno. 1707. *ſed perdifficile*

οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς

Navigare omnes Corinthum non poſſunt.

Adde quod πάντες ὀφρυόεντα κόρινθον εἰρήκασι. παροιμιάζονται γάρ.

Κόρινθος ὀφρυᾶ τε, καὶ κοιλαίνεται

quod vulgo *ſuperciliosa Corintus dicta fuerit, ac proverbium natum:*

Colles Corinthus atque cavitates habet.

juxta eundem auctorem p. 586. edit. cit. quin juxta Pauſaniam L. II. cap. 1. p. 110. edit. Joach. Kuhn. ἀπὸ τοῦ κορίνθου ὄνομα ἔσχηκε, ὃν Διὸς εἶναι κορίνθιοι εἶπον *à Corintho nomen acceperit, quem illi Jovis filium dicunt*: quæ, aliqua exparte Horatius L. I. epiſt. 17. vers. 34-36. ita exprimit

Attingit ſolium Jovis & cæleſtia tentat:

princi-

Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

§. 458.

eur? Ut igitur Corinthum adire, ſic præſtantiſſima invenire, haud cuique licuit, licet, & licebit. Ingenio maximo, ſubſidiis litterariis inſtructo, nec externis quibusdam impedimentis, laborum concatenata ſerie, valetudinis imbecillitate, & fortunæ iniquioris inſolentia, retardato, opus eſt.

§. 459.

inde pauci inventores Quæ cum non omnibus divina ſoleat tribuere providentia; mirum non eſt, inventores omni ævo pauciſſimos, admiratores multos, ſectatores unius viri maximi, longe plurimos exſtitiſſe.

§. 460.

nec tamen, qui non ſunt, contemnendi Sed nec ab omnibus idem requiri poteſt aut debet. Humani generis intereſt, non inveniri tantum veritates novas, ſed easdem jam inventas, ab aliis, perſpicua methodo, & ad imbecilliores accommodata, quâ non ſemper pollent heroes, propagari, uberius exponi, &, quod maximum eſt, applicari, inque ſuccum converti & ſanguinem.

§. 461.

ratio manifeſta Uti non ſolum, qui ſerant, exſiſtere neceſſe eſt; ſed & qui jam ſata curent, terræ gremium molliendo, ſubigendo, rigando, 1.Cor.3.v.6. *ut illa occatum ſemen cohibeat, deinde tepefactum, vapore & compreſſu ſuo diffindat, eliciatque herbeſcentem ex eo viriditatem: quæ nixa fibris*

fibris ſtirpium ſenſim adoleſcat, culmoque erecta geniculato, vaginisque jam quaſipubeſcens incluſa ſit, ê quibus cùm emerſerit, frugem fundat, uti Cicero ſcribit de ſenectut: cap. 15. ita, præter illos, qui novarum veritatum ſemina ſpargunt, oportet exſiſtant, qui illas aliis inſtillent, & vario labore, ut ſe, quemadmodum ſunt viribus, ſic & effectu *fecundas*, exhibeant, præſtare conentur.

§. 462.

Multæ veritates præſtantiſſimæ perierunt, vel hanc unam ob cauſſam, quod, qui illas propagarent, applicarentque, juſto diutius defuerunt. alia

§. 463.

Tandem, quum nova invenire, humano generis commodo, non poſſint omnes; ſaltim id agere omnes & poſſunt & debent, juſtitiæ ac liberalitatis exemplo omnibus, tempore omni, ut præluceant, pariter ac inſerviant. quid illis conveniat qui inventores eſſe non poſſunt?

§. 464.

Intelligo juſtitiam ſecundi ordinis, quæ non ſolum nemini nocet, ſed & prodeſt, quantum homini datum intelligitur, quamplurimis. Qua ſine juſtitia, nec eloquentiæ quidem ſuus ſplendor conſtare poterit. hæc juſtitia eloquenti neceſſaria

§. 465.

Recte de Ariſtide Nepos, cap. 1. §. 1. 2. *in bis*, inquit, (Themiſtocle & Ariſtide) *cognitum eſt, quanto antiſtaret eloquentia innocentiæ.* Nempe id ægro ferendum animo innuit, quod, pro illorum temporum injuria, innocentiam eloquentia vicerit. probatur

§. 466.

alio ejuſdem loco Nec tamen ſine triumpho noviſſime hujus juſtitia fuit, *cujus æquitate factum, cum in communi eſſet claſſe Græciæ ſimul cum Pauſania; quo duce Mardonius erat fugatus, ut ſumma imperii maritimi transferretur ad Athenienſes. Namque ante id tempus, & mari & terra duces erant Lacedæmonii.* Verba ejusdem Nepotis ſunt in Ariſtid. c. 2. §. 2.

§. 467.

de liberalitate ſecundo honeſti gradu De liberalitate vero, quis non intelligit eam humani generis ſocietatem multo beatiorem reddere. Dignum eſt, Ciceronis de offic. L. II caput. 15. quod in hujus virtutis laude deprædicanda totum eſt.

§. 468.

Ciceronis teſtimonium *Liberalitatis*, inquit, *eſt duplex ratio. Nam aut opera benigne fit indigentibus aut pecuniâ. Facilior eſt hæc poſterior, locupleti præſertim: ſed illa lautior, & ſplendidior, & viro forti; claroque dignior.*

§. 469.

continuatum *Qui opera, i. e. virtute & induſtria benefici, & liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eò plures ad benigne faciendum adjutores habebunt. Deinde conſuetudine beneficientiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores, ad bene de multis promerendum.*

§. 470.

naturæ eſt conſentanea Addatur caput 14. Libr. I. quod; quibus cautionibus in ea colenda, utendum ſit, pereximie declarat. *Liberalitate nihil*, inquit, *eſt*

natura

naturæ hominis accommodatius. Quidquid autem naturæ rationali tanto conſentaneum opere eſt, id, quin honeſtum, quin præclarum, quin laudabile ſit, ſi rem, ut fas eſt, ex noſtra metiamur definitione, §. 300. nemini dubium eſſe poteſt aut debet.

§. 471.

Oratorem nunc ſpectemus, à quo, utrum hic honeſtatis gradus, remotus eſſe poſſit, accuratiore mentis librâ æſtimandum erit.

utrum oratori neceſſaria ars inveniendi? invenire utilia eſt & oratoris

§. 472.

Primo quidem orator inveniendi ſolertia carere non debet: non quidem ſemper ea illuſtri, qua vix unus alterve ſeculi phœnix coruſcat, quo de pronuntiare poſſis Senecæ Epiſt. 42. p. 247. edit. Morell. verba.

§. 473.

Jam tibi iſte perſuaſit ſe Virum bonum eſſe. Atqui vir bonus tam cito nec fieri poteſt nec intelligi, ſcis, quem nunc virum bonum dicam? hujus ſecundæ notæ, nam ille alter fortaſſe tanquam phœnix ſemel anno quingenteſimo naſcitur: nec eſt mirum, EX INTERVALLO MAGNA GENERARI. *Mediocria, & in turbam naſcentia ſæpe fortuna producit: eximia vero ipſa raritate commendat.*

per ἄρσιν

§. 474.

Neque vero etiam heic in oratore illam inveniendi artem, qua de rhetorica præcipit, requiro: quam, cum jam tyrones ſibi commendatam habeant, multis præſcribere, nimis vile & ab inſtituto alienum eſſet.

per ἀρσιν

§. 475.

per θέσιν

Illam potius inveniendi artem neceſſariam puto, quæ CLAVES ANIMORUM reperire docet, quæ, dicendi potentiâ, obſtructum ἀναισθησίᾳ aditum, recludere, recluſum, i. e. auditoris attentione perpetua ſtratum, calcare, ſeu adtentione uti, & calcatum ad intimos usque receſſus, terere queat, ut flectere, quoquo libeat, poſſit.

§. 476.

orator ex effectu æſtimandus

Qui animis audientium imperare, mira dicendi dignitate, non poteſt, nec optimus orator eſt. Qui frigidos relinquit nullus eſt. Qui aliquam ſuorum, ſed absque affectu, attentionem conſequitur mediocris exſiſtit. Qui potitur utroque, eum hominibus divina munificentia conceſſum eſſe dico.

§. 477.

effectus tamen arduus

Sed illud quidem invenire, eo excelſitatis eniti, tam ardua ad loca aſſurgere poſſe, non minoris eſt ingenii judiciique, quam quadraturam invenire circuli, quam perpetuum excogitare mobile, quam maris, tam diu deſideratam, totque præmiis provocatam, navigantibus monſtrare longitudinem.

§. 477.

non autem fieri neſcius

Stupet animus, &, vix ut credat, à ſe impetrare poteſt, quum, quæ de Hegeſia Valerius Maximus prodidit, L. VIII. cap. 9. in extern. num. 3. legere inſtituit:

§. 479.

probatur exemplo

Quantum eloquentia valuiſſe Hegeſiam Cyrenaicum

renaicum Philoſophum, arbitramur? qui ſic mala vitæ repræſentabat, ut eorum miſerandâ imagine, audientium pectoribus inſerta, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret.

§. 480.

Diu noctuque in hac arena deſudandum eſt, dum, quod propoſitum habes, conſequare. Naturam tuam primo expende omnem, excute ingenii vires, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, conſidera corporis motus, manuum geſtus, oculorum, frontis, oris, reliquorumque membrorum figuram, cogita exteriorum opportunitatum facultatem, litteraria ſubſidia, docentium dexteritatem, & fidem, temporis rationem, commilitonum naturam, & his omnibus, quid poſſis, quid præſtiturus ſis, explora. quibus modis obtineatur? reſpectu ipſius

§. 481.

Nec auditorum ratio negligentius habenda eſt: qui, quo animo affecti ſint, quibus rebus commoveri queant, ſoleantque, quibus delectentur, quas ſpernant, & rejiciant, quibus artibus ſint innutriti, quibus ſtudiis flagrent, quibusque aliis diſcernantur, cogniti oratoribus eſſe debent. reſpectu Auditorum

§. 482.

Unum illis omnibus efficiendis adjumentum ſuppetit, ut, quæ dicendo ſuis perſuadere conatur orator, *ſi in deteriorem ea partem propendeant*, deteſtabilia, *ſin in bonam prona ſint, multo* jucundiſſima *reddat*. omnia tamen adjumenta uno compleceris.

§. 483.

probatur teſtimonio

Præclariſſimam vero artem, quâ una vis omnis corda flectendi concluſa eſt! Quæ de pöetis Leibnitius ſcribit, in otio Hannov. ſeu miſcellaneis &c anno 1718. editis p. 171. eadem & oratori, cujus cum pöeſi arctum eſt vinculum neceſſitudinis, convenire, recta dictitat ratio.

§. 484.

verba teſtimonii cum epicriſi

Unde ſtatuo, inquit, *poetas non poſſe melius de republica mereri, quam ſi omnibus viribus in æterna felicitate omni colorum genere pingenda, atque animis imprimenda, occupentur.* Hæc enim repræſentando jucunda virtus efficitur.

§. 485.

eadem cum epicriſi continuata

Paulo inferius pergit: *Quod ſi comœdiæ ad vitæ æternæ pulcritudinem adumbrandam, & horribiles ſcelerum pœnas depingendas, adhiberentur, melius cum genere humano ageretur.* His iterum qualibuscunque adjumentis virtuti colendæ conciliaretur quædam ſuavitas.

§. 486.

continuata, ut ante

Si jam cantiones in animis ſummum gaudium excitare poſſunt; ſi militaribus tubis ad contemnendam mortem animantur milites; ſi denique omnes affectus arte muſica moveri poſſunt, poterit memoria, quantum fieri poteſt, viva & expreſſa muſicæ, ſibi quisque quoscunque affectus imprimere & affectuum nonnullorum voluptatem. Exemplo igitur muſices conſtat aures demulcere poſſe, tantundem valere, ac animorum claves poſſidere, quod oratori inprimis obſervandum eſt.

§. 487.

Sybaritæ præmia ei decernebant, qui nova genera voluptatis reperiſſet: EGO REMPUBLICAM CHRISTIANAM PLURIMUM DEBITURAM EI ARBITROR, QUI EFFECERIT, UT SUMMA SIT JUCUNDITAS IN PIETATE. maxima in rempublicam merita, quæ?

§. 488.

Magnifica vero vox, & magno Viro & ſapiente digna! quæ declarat, ut quisque jucundiſſima ratione, quæ honeſta, quæ pia ſunt, reliquis perſuadere poſſit: ita etiam optimum ſive poetam, ſive oratorem eſſe. judicium

§. 489.

Quod enim oblectat homines, id ſequuntur, quod jucundum eſt, in ejus ruunt amplexum, ſua quemque trahit voluptas: cui ſi orator gratificandi artem calleat, ſi placere, ſi allicere, ſi ſuavitatis quendam ſenſum excitare poſſit: tum demum de animis triumphat, tum eos flectere, tum eos conciliare poteſt. explicatur uberioribus

§. 490.

Nec eſt, cur dicas, *oratoris eſſe, affectus ut cieat, & moleſtiſſimos*, dolorem, triſtitiam, luctum: *in quibus cum nulla voluptas ſit, non omne artificium illius eo valere, ut, quæ jucunda, quæ grata ſunt, illis admixta repræſentet, quæ erat perſuaſurus.* objectio

§. 491.

Etiam in triſtitia, etiam in ipſo luctu, in omni affectu, quædam voluptas ineſt. Si para- ſolutio

doxum id videtur, ſi præter rationem excogitatum; cur homines etiam doloribus indnlgeant, cur ab eis ægre revocentur, paulo attentius tecum recogita.

§. 492.

Ariſtotelis Quin ſis in Ariſtotelis ſententiam iturus, qui ullum affectum à ſenſu voluptatis ſeparari poſſe negat, non ſane eſt, cur dubitem. Ita vero ille Rhetoric. L. I. cap. 11. §. 22. p. 67. edit. Schrader.

§. 493.

ejusdemque verba Διὸ καὶ ὅταν λυπηρὸς γένηται τῷ μὴ παρεῖναι, καὶ ἐν τοῖς πένθεσι καὶ θρήνοις ἐγγίνεταί τις ἡδονή. ἡ μὲν γὰρ λύπη ἐπὶ τῷ μὴ ὑπάρχειν, ἡδονὴ δὲ ἐν τῷ μεμνῆσθαι, καὶ ὁρᾷν πως ἐκεῖνον κ. τ. λ.

§. 494.

latina *Itaque cum etiam abſentiâ anguntur plane amant. Luctibus quoque & lamentationibus adjuncta eſt naturalis quædam voluptas. Nam cum moleſtum ſit, non eſſe amplius eum, qui lugetur; jucundum eſt ejus recordari, eumque quodammodo intueri &c,*

§. 495.

reditus ad propoſitum Hæc igitur oratoris eſt optima inveniendi ratio quâ ſibi reddit exploratum, quarum ſive notionum, ſive verborum repræſentatione, quo ſive affectu, ſive geſtu, ſive omnibus, ad animos auditorum ſibi parare aditum debeat?

§. 496.

officium oratoris Talem ſi ſe geſſerit, non minimam, ad ſocietatis humanæ commoda, partem conferet dignus,

dignus, de quo honeſtatis ſtudium, &, ob honeſtatem, ſapientiæ, &, ob ſapientiam, genuinæ eloquentiæ, ſecundum ideas ſupra traditas, nullo non prædicetur tempore.

§. 497.

Poſſunt jam ulteriores honeſtatis gradus varie deſignari, pro magnitudine utilitatis, quæ naturæ rationali affertur; vel & pro cauſſæ impellentis præſtantia, cujus inſtinctu illius commoda augentur: cum partim illam ipſam opportunitatem in promovendis commodis publicis reſpicere queas, quæ largo fœnore in te redundat ipſum: OMNE ENIM PUBLICUM BONUM NOSTRUM QUOQUE EVADIT: partim pietate in DEum ductus, hujus remunerationem, rationi notam, intueri: quoniam tamen hæc facile meditantibus occurrent, quia & alibi à me uberius expoſita ſunt: tranſibo ad reliqua. ulteriores gradus non deſignamus, & cur!

§. 498.

Honeſtatem varie diviſam eſſe, ſecundum gradus, ſi vel miſeriam propulſandam, vel utilitatem, naturæ rationali afferendam, eandemque rurſus plus minus, pro re nata, talem, ſpecies, in antecedentibus dixi: nunc in eo eſt, ut eandem honeſtatem contemplemur ſecundum varias claſſes. hactenus de honeſti gradibus, nunc ſpeciebus

§. 499.

Claſſes autem ut definias, *conſideratione &* partium, *&* ſtatuum *opus eſt*, quibus natura rationalis continetur. Partes anima & cor- unde ſpecies æſtimentur?

pus ſunt. Statuum nomine intelligimus varias ſocietates.

§. 500.

Ethicæ definitio Honeſtum eſſe, quidquid naturam rationalem augeat, & conſervet, deſtinato præmonui conſilio. *Itaque* quod animam & corpus excolit *& auget, id Ethicæ honeſtatis ſpecimen eſt.*

§. 501.

de qua primo præcipiendum Homo niſi animi pariter corporisque dotibus quotidie augeatur, naturæ rationali in univerſum, non multum commodi afferre poterit. Primum igitur eſt de ethica præcipere, tum de jurisprudentia.

§. 502.

quid ſit vi vocis? Ethica autem, ipſo vocabuli ſignificatu, philoſophiam illam denotare debet, *quæ eſt de vita & moribus, & conſtitutione finis.* Verba Ciceronis ſunt, de finibus bonor. & malor, L. I. T. IV. edit. Gothofr. p. 62. litt. A.

§. 503.

ejus Auctor primus Hanc primum Socratem eſſe profeſſum, famâ traditum eſt. Sic enim Diogenes Laërtius in prœm. p. 5. edit. Henr. Steph. ὧ Σωκράτης, ὁ τὴν ἠθικὴν εἰσαγαγών. *Huic ſucceſſit Socrates, qui introduxit Ethicam.*

§. 504.

judicium de Ariſtotelis ethicis. Ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum libri, qui quidem paſſim bonorum quoque animæ corporisque meminit: v. g. L. I. cap. 8. §. 58. cum verſion. Riccobon. 1610. τῶν δὲ, περὶ ψυχὴν καὶ σῶμα, τὰ περὶ ψυχὴν κυριώτατα λέγομεν,

γομεν, *alia in animo, alia in corpore; eaque in animo præſtantiſſima dicimus* : maximam tamen partem cæteras philoſophiæ practicæ regiones pervadunt.

§. 505.

Duplici igitur præcepto abſolvitur ethica omnis : altero ANIMUM INTELLIGENTEM & VIRTUTIS AMANTEM PRÆSTA : altero : VALETUDINEM TUERE CORPORIS. Ethices præceptum duplex.

§. 506.

Ethica igitur nihil aliud eſt, quam ſapientiæ ſtudium ac doctrina, QUA QUISQUE UTITUR ERGA SEIPSUM. Corollarium

§. 507.

Quâ quidem haud ſcio an quidquam oratori poſſit eſſe magis neceſſarium? Falluntur, qui ſe ſapientiæ præcepta, ea enim oraroris propria ſunt, i. e. veri ac honeſti ſcientiam & amorem, aliis perſuaderi poſſe credunt, quum ipſi de iis nondum perſuaſi ſunt. Ethica oratori neceſſaria

§. 508.

Quid poteſt eſſe repugnantius, quam eloquentiâ honeſtatem, vita & moribus autem, turpitudinem ipſam audientibus repræſentare: negare facto, quod ore confirmatur? argumentum rei

§. 509.

Quod de verbi divini quibusdem doctoribus, levioris animi, me quondam legere memini, quum de pœnarum DEI imminentium gravitate verba facere inſtituunt : *Sie predigen von der böſen Zeit, und ſtellen die Gute vor* : id illuſtratur

ob ſimilem, qui verba à factis disrumpit, hiatum, in oratores, ethicam vitâ parum colentes, cadere poteſt.

§. 510.

aliud argumentum Finis eloquentiæ eſt, de animis audientium triumphare, ſibique eorum ſubjicere affectus. Sed cui veritas non imperat, num per eum veritas imperare aliis poteſt?

§. 511.

aliud Scopus facundiæ perſuaſio eſt. Eos autem optime perſuadere, qui perſuaſi ſint, confirmata perpetuo uſu ſententia eſt.

§. 512.

aliud Conſilium oratoris eſt cicre audientium affectus. Sed, in quo animi motus frigent, num eos in aliis accendere poteſt? Non maxime ſapit, qui ridendo aliorum excitare luctum, & lacrymas cupit. Citata eſt in eam rem Horatii ſententia.

§. 513.

ſolvitur dubium Unum heic in ſimulatione perfugium erit. *Forte ſimulandi ſunt affectus, orator quos non habet. Forte perſona virtutis, ſin minus ipſa vis, induenda eſt.* Id quidem ita faciunt: ſed quo in noſtris animis effectu; ſentimus; quo ſuæ exiſtimationis detrimento, viderint ipſi.

§. 514.

Non ſapit qui ſibi non ſapit. Ego rationes ita ſubduco meas, PESSIME SAPERE QUI SIBI NON SAPIAT. Quæ cum dico, animum illa ſubeunt, quæ apud Demoſthenem legi, in exordiis Concion. p. 136. edit. Hieronym. Wolf. litt. B.

§. 515.

§. 515.

Νυνὶ δὲ ἀμείνους ἐστὲ τὰ τῶν ἄλλων δεινὰ ἐπανορθοῦν ἢ τῶν ὑμῖν αὐτοῖς συμβαινόντων φροντίζειν. probatur teſtimonio
Nunc major eſt veſtra dexteritas, in malis aliorum corrigendis, quam in iis, quæ vobismet ipſis eveniunt, providendis.

§. 516.

Atqui non ſapiunt ſibi, qui, quæ vera & honeſta aliis perſuadere cupiunt, ſuo ipſorum animo non amant & complectuntur. applicatur

§. 517.

Si vera ſunt, (ſunt autem ſane) illa Euripidis verba, in Rheſ. Act. I. p. 392. edit. Gaſtpar. Stiblin. lit. C. ex quo diſcenda ſapientia

σοφοῦ παρ' ἀνδρὸς χρὴ σοφόν τι μανθάνειν

Sapiente è Viro diſcendum eſt quid ſapientiæ,
hi ſane oratores audiendi non ſunt. Illi quippe non ſapiunt, qui ſibi non ſapiunt; à deſipientibus vero ſapientiam petere, minime conſentaneum eſt.

§. 518.

Ethicæ & munus, corporis eſſe curam, dixi. §. 505. *orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.* Juvenal. ſat. X. vers. 336. Ethicæ alterum munus

§. 519.

Proſpera valetudo, Ariſtotelem ſi audias, in duobus maxime ponitur: quorum alterum mala cavet, alterum affert opportunitatem agendi. Verba ejus in Rhetor. L. I. cap. 5. §. 29. edit. citat. hæc ſunt. valetudo quid?

§. 520.

Σώματος δὲ ἀρετὴ, ὑγίεια, αὕτη δὲ οὕτως ὥστε teſtimo-

nium Ari- ἀνόσυς εἶναι χρωμένυς τοῖς σώμασι. *Corporis* ſtotelis *autem virtus eſt ſanitas, quæ ita accipienda eſt, ut & morbo quis careat, & corpore utatur.*

§. 521.

aliud Addit in ſequentibus rationem: πολλοὶ γὰρ ὑγιαίνυσι ὥσπερ ἡρόδικος λέγεται, ὓς ὐδεὶς ἂν ἐυδαιμονησειε τῆς ὑγιείας, διὰ τῶν πάντων ἀπέχεσθαι τῶν ἀνθρωπίνων, ἢ τῶν πλείςων.

§. 522.

latinum. *Multi enim ita valent, ut Herodicus dicitur, quos propter talem ſanitatem nemo beatos dixerit: cum aut omnibus, aut plerisque eorum, quæ hominum vita fert, abſtinere cogantur.*

§. 523.

declaratur Nimirum illos intelligit, quorum valetudo, niſi exactiſſimæ diætæ ſubjiciatur, continuo in periculum incurrit. Qui in ipſa ſanitate propemodum ægrotant: quos eadem cauſſa perpetuo ab expediundis negotiis ſuſpenſos tenet.

§. 524.

valetudo in duobua Valetudinem non in immunitate tantum à morbis, ſed & in perpetuarum exercitationum facultate collocari, curatius, more ſuo, obſervavit Cornelius Celſus de medicina L. I. cap. 1, p. 20. edit. Wolters:

§. 525.

teſtimonio Celſi *Sanus homo*, inquit, *qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque medico, neque jatroalipta egere. Hinc oportet varium habere vitæ genus: modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiusque in agro: navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequenter ſe exercere.*

§. 526.

§. 526.

Si quidem ignavia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti &c. continuato

§. 527.

Maxime ad tuendam valetudinem conducit, vehementiores compeſcere affectus, tumultuantes iras, & effrenes libidines, alia remedia tuendæ valetudinis

§. 528.

Quantopere naturam rationalem ira labefaciat, i. e. ex notione honeſtatis, quanto turpis ſit opere, Seneca docet, L. III. de ira, cap. 16. p. 593. edit. Morell. iræ devitatio

§. 529.

Quamdiu nihil tam intolerabile nobis videtur, ut nos expellat è vita, iram, in quocunque erimus ſtatu, removeamus. Pernicioſa eſt ſervientibus. neceſſaria

§. 530.

Omnis enim indignatio in tormentum ſuum proficit, & imperia graviora ſentit, quo contumacius patitur. Sic laqueos fera dum jactat, adſtringit, ſic aves viſcum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. neceſſaria

§. 531.

Libidinum autem intemperies, ſi quidquam valetudini in orbe infeſtum eſt, certe eidem quam maxime derogat. Nec id veteres non pridem agnovere. Ita Tullius de ſenectute, cap. 9. §. 12. libidinum declinatio

§. 532.

neceſſaria *Etſi iſta ipſa defectio virium adoleſcentiæ vitiis efficitur ſæpius, quam ſenectutis.* Libidinoſa enim & intemperans adoleſcentia effœtum corpus rradit ſenectuti.

§. 533.

lætitiæ vehementioris periculum Quin & lætitia vehemens, innocentem ob cauſſam ſubito coorta, funeſta ſæpe fuit: manifeſto vehementium affectuum, valetudini noxiorum, argumento. Sic enim Valerius Maximus, L. IX. cap. 12, p. 343. edit. Ern. Gohl.

§. 534.

teſtimonio probatum *Vix veriſimile eſt in eripiendo ſpiritu idem gaudium potuiſſe, quod fulmen : & tamen potuit. Nuntiata enim clade, quæ ad locum Traſymenum inciderat, altera mater ſoſpiti filio ad ipſam portam obviam facta, in complexu ejus exſpiravit :*

§. 535.

alio quodam *Altera cum falſo mortis filii nuntio domi mœſta ſederet, ad primum conſpectum redeuntis exanimata eſt. Genus caſûs inuſitatum : quas dolor non exſtinxerat, lætitia conſumſit.*

§. 536.

cura valetudinis oratori neceſſaria Quum igitur in afflicta valetudine ipſam eloquentiam languere videas : quum in corpore viribus exhauſto, vix ſuis ipſius oſſibus nixo, pallido vultu, trementibus artubus, anhelo ſpiritu, fatiſcente machina, nec mens ullo fungi facundiæ officio poſſit: corporis orator non poſtremam habeat curam neceſſe eſt,

§. 537.

ne quid Sed nec nimis valens, nimis firmus, nimis

ferreus

ferreus eſto: cum ille quidem valetudinis plus juſto proſper ſtatus, neſcio quam affectuum vacuitatem, ut cum Cicerone loquar, cum facundiæ genuinis viribus non conciliabilem, inferre ſoleat. & hîc nimis

§. 538.

Id, quidquid eſt, in ſumma corporis proſperitate, incommodi, dudum notavit Tullius, de claris oratoribus, ſeu in Bruto, T. I. operum, edit. Godofr. p. 337. litt. A. B. C. in quo illud nimium?

§. 539.

Quin etiam memini, inquit, *cum in accuſatione ſua, Q. Gallio crimini dediſſet, ſibi eum venenum paraviſſe, idque à ſe eſſe deprehenſum, ſeſeque chirographa, teſtificationes, indicia, quæſtiones, manifeſtam rem, deferre diceret, deque eo crimine accurate & exquiſitè diſputaviſſet: me in reſpondendo, cum eſſem argumentatus, quantum res ferebat: hoc ipſum etiam poſuiſſe pro argumento, quod ille, cum peſtem capitis ſui, cum indicia mortis, ſe comperiſſe manifeſtum, & manu tenere diceret:* TAM SOLUTE EGISSET, TAM LENITER, TAM OSCITANTER. verbis Tullii. corpus nimis robuſtum affectuum frigus indecorum habet

§. 540.

Tu iſtuc, pergit, *M. Callidi, niſi fingeres, ſic ageres? præſertim cum iſta eloquentia, alienorum hominum pericula defendere, acerrime ſoleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces & querelas ſolet? nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percuſſa, non femur:* byſſina verba ligneus orator

femur : pedis , quod minimum eſt, nulla ſupploſio (du ſtrampffeſt nicht einmal mit den Füſſen :) itaque tantum abfuit, ut inflammares noſtros animos : ſomnum iſto loco vix tenebamus.

§. 541.

præ nimia ſanitate orta.

Claudit denique verbis , quæ maxime huc pertinent, quibus tamen , ob connexionem, antecedentia præmitti debuerunt : *ſic nos ſummi oratoris vel* SANITATE vel UITIO , *pro argumento , ad diluendum crimen uſi ſumus.*

§. 542.

declarantur verba Tullii

Quibus verbis Tullius declarat, illam oratoris in optima cauſſa, ad vitæ periculum probandum, affectûs vacuitatem, ut à nimia forſitan ſanitate profecta fuerit; ſic cauſſæ juſtæ non parum nocuiſſe.

§. 543.

ubi ethica locum habet, an & in extra ſocietatem?

Hæc eſt illa honeſtas, quam adpellare ſolemus ethicam, quæ maxime officia erga ſe ipſum dirigit. Hæc locum haberet, ſi vel unus tantum in toto orbe exſiſteret mortalis.

§. 544.

neceſſitas ſocietatum

Cum vero homines exſiſtant innumeri, neque iidem ſine ſocietate vivere vitam poſſint; probante id Pufendorfio , de offic. Hom. & Civ. L. I. cap. 3. §. 4-7. idcirco honeſtas etiam ſocialis & datur, & conſideranda eſt.

§. 545.

honeſtas ſocialis

Quemadmodum enim ethica honeſtas illa eſt, quæ animæ & corporis naturâ inditas facultates excolit & auget : §. 500. ſic & ſocialem

alem adpellamus, quâ ſubinde ſocietatibus humanis rectius conſultum eſt, aut quæcunque affertur utilitas.

§. 546.

Sed uti ſocietates ipſæ variant, ſic &, pro illarum diverſitate, alia atque alia exſiſtunt honeſtatis genera. variana

§. 547.

Societas univerſalis eſt illa, quâ omnes, quotquot natura rationali gaudent, ad communem quandam omnium pacem, i. e. extremæ miſeriæ fugam, & majorem præterea opportunitatem contendunt. ſocietas univerſalis quæ?

§. 548.

Quando ex his omnibus numerus hominum ingens, denuo certioris, firmiorisque utilitatis cauſſa, in unum coire ſolet, ut ſibi mutuo conſulant: particularis ſocietas emergat oportet. ſocietas particularis

§. 549.

Cumque hæ ſocietates, non obſtante ſcopi particularis deſtinatione, à neceſſitate perſequendi finis illius univerſalis, de quo §. 547. ex ſolutæ nequaquam ſint; uti nec membra noſtri corporis, particularium functionum prætextu, à communi totius corporis ſalute, recedere fas eſt: 1. Cor. 12. v. 12. maxime vero Rom. 12. v. 4. profecto intelligitur, res publicas in hac terra omnes, univerſalis ſocietatis, quâ totum continetur genus humanum, partes & membra eſſe. hæ illius partes ſunt

§. 550.

Neque hodie demum generis humani uni- ſententia

verſalis

non novaturiens verſalis ſocietas credita, aut detecta eſt. Sane & veteres hanc in ſententiam iverunt. Stoicorum ea doctrina fuit, quam alii fecerunt ſuam.

§. 551.

teſtimonium Tullii Cicero de offic. L. I. cap. 16. §. 3. ita in hanc rem diſſerit: *Eſt enim primum, quod cernitur in univerſi generis humani ſocietate. Ejus autem vinculum, eſt ratio & oratio, quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando conciliat inter ſe homines, conjungitque naturali quadam ſocietate.*

§. 552.

continuatum Pergit paulo inferius: *at latiſſime quidem patens hominibus inter ipſos, omnibus inter omnes, ſocietas hæc eſt: in qua omnium rerum, quas ad communem hominum uſum natura genuit, eſt ſervanda communitas.*

§. 553.

fundamentum ſocietatis Quibus verbis fundamentum ſocietatis univerſalis peropportune aperitur, RATIO & ORATIO.

§. 554.

cur ſit ratio? Cum enim ratio *perſpicientia quadam ſit rerum inter ſe nexûs*, ut ex Tullio ſupra probavimus, de offic. L. I. cap. 3. §. 4. & *ſocietas omnis nihil aliud ſit, quam conjunctio, quâ plurium ſtudia referuntur ad communem quempiam finem; ita ut inter illa & hunc exſiſtat perpetuus nexus:* conſequitur, illos ſocietati ſaltim aptos, ſin minus eidem aggregandos eſſe, quicunque recta ratiocinandi facultate præditi ſunt.

§. 555.

§. 555.

Orationis vero, quæ cum aliis animi ſenſa communicat, pro ineunda ſocietate, argumentum, multo firmiſſimum eſſe, oſtenderunt dudum alii. Vid. Pufend. de off. Hom. & Civ. cap. 10. §. 1. cur oratio?

§. 556.

Sane Ariſtoteles de republica L. I. cap. 2. p. 6. 7. edit. Theod. Zwing. Baſil. 1582. meo quidem judicio, verè & ſolide judicat: teſtimonio Ariſtotelis

§. 557.

Διότι δὲ πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον, πάσης μελίττης, καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον, δῆλον. Οὐδὲν γάρ, ὥς φαμεν μάτην ἡ φύσις ποιεῖ. λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζώων. ejus verba

§. 558.

Hominem autem eſſe animal civile magis, quam quamvis apem, & quodvis animal congregabile, apertum eſt. Nihil enim, ut cenſemus, natura facit fruſtra. Orationis enim tantum homo ex omni genere animantium particeps eſt. latina

§. 559.

Eandem veritatem pereleganter poeta depingit tragicus: qui cum Theſeum loquentem fecerit, de eo, *plurane in mundo mala exſiſtant, an vero bona*; ſic tandem ejus orationem in ſupplic. Act. I. p. 281. edit. Stiblin. claudit: aliud Euripidis

§. 560.

αἰνῶ δ' ὃς ἡμῖν βίοτον ἐκπεφυρμένου
καὶ θυριώδους θεῶν, διεσταθμήσατο ejus verba

πρῶτα μὲν ἐνθεὶς σύνεσιν εἶτα δ' ἄγγελον
γλῶσσαν λόγων δοὺς, ὥστε γιγνώσκειν ὄπα.

§, 561.

latina *Laudo vero quisquis deorum noſtram vitam à belluino & confuſo ritu ſuis deſcripſit finibus. Primum quidem mentem indulgendo, deinde nuntiam verborum, ſenſorumque, linguam, ut voces cognoſcere &c.*

§. 562.

corollarium Ratio igitur & oratio, ut ad homines omnes pertinet, eosdemque à pecudum ferinc ritu diſcernit; ſic omnium quoque univerſalis quædam ſocietas intelligatur neceſſe eſt.

§. 563.

objectio Nec obſtat linguarum mira varietas, quo minus omnibus omnes ſocietate communi copulatos fatearis: cum illa quidem difformitas ea officia non impedire poſſit aut debeat, quibus univerſalis ſocietas coaluit.

§. 564.

ſolvitur Populi populis, peregrina lingua utentibus pacem debent pactorumque fidem. Quæ neceſſitas, quia, quo quisque alteri magis vicinus eſt, eo magis quoque, ob quotidianas occaſiones, in alterutram partem agendi, creſcit idcirco propter ipſam illam viciniam, facile, qui in confiniis vivunt, alii aliorum linguas diſcunt

§. 565.

remotiſſimi remotiſſimis ſocietate juncti Quod ſi populum à populo remotiſſimum eſſe contingat, ut ſunt à Germanis Chinenſes præterquam quod commercia per omnem or ben

bem floreant: vel maxime diſſitis populis, univer-ſalis ex officio ſocietatis, hoc tribuendum eſt, ne quis populus vicinos offendendo, remotiori-bus ſimiles excitandi turbas anſam præbeat, vagato late, ut nec exempla deſunt, per or-bem, triſtiſſimo malo.

§. 566.

Perſiæ, verbi gratia, regionis longinquioris, arma Turciæ illata, quô noſtro non commo-dô, hos barbaros, ab injuriis Imperatori infe-rendis, retractant? Si vero Indiæ regem, vulgo magnum Mogolem, Perſis eſſe infeſtum bello contingeret: nullus equidem dubito, quin re-motiſſimæ gentis perfidia ſuæ malignitatis fru-ctus ad nos usque propagare poſſet. probatur exemplo

§. 567.

Ut exempli vim, haud difficulter toto orbe percrebreſcentem, de qua & ſcriptura paſſim agit, v. g. Rom. 2. v. 24. & ex adverſo Rom. 1. v. 8. hac vice omittam. alio argu-mento.

§. 568.

Si populo vel uni liceat turbare vicinos, pa-cem evertere, adſtrictam verborum ſanctitate fidem violare turpiter: cur idem non conveniat omnibus, quotquot illius rei fama attingit? at-tingit autem omnes facile. uberius expoſito

§. 569.

Toti igitur humano generi, omnium univer-ſæ ſocietati, id quidem debetur, ut offenda-mus neminem, ut pacta ſervemus, ut, quæ communia ſunt, in omnes confe-ramus. confecta-rium

Homo qui erranti comiter monſtrat viam
quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit
nihilominus ipſi lucet, cum illi accenderit

§. 570.

inter remotiſſimos quoque amicitia

Ex his cognoſcitur, remotiſſimos remotiſſimis, non pacis tantum ſervandæ vinculo, fœderumque præſtanda fide; ſed amicitiæ cujusdam quoque nexu obnoxios eſſe: ſi vel maxim ab omni alio pacto diſcedas.

§. 571.

probatur.

Amicitia vero hæc ad officia innoxiæ utilitatis, uti vocant, exporrigitur. Conſilia dar ceſpitantibus; prælucere artium prudenter rem publicam adminiſtrandi fama, quod Salomo fecit, ab ipſa Arabiæ longinquioris reginamaximi factus; nova, ſi fieri poteſt, quoquo invenire modo, toti humano generi profutura quæ res Germanorum laude, toti orbi typographiæ invento inſervientium, illuſtratur: hæ & alia longe plura, remotiſſimi debent remotiſſimis.

§. 572.

ergo datur ſocietas univerſalis

Eſt igitur ſocietas quædam omnium, qua patet orbis, hominum, eademque univerſalis, cujus ſcopo, latiſſime patenti, particulares respublicas detrahere, tamdiu nefas, quam certum eſt majus bonum anteponendum minori, corporis totius ſalutem, commodo partis; reipublicæ univerſæ opportunitatem, utilitati ſingulorum ante habendam,

§. 573.

omnibus

Præferre patriam liberis regem decet

Senec

Senecæ Trag. Troas habet, vers. 330. ergo & patriæ præferre genus humanum, ob ejusdem utrobique rationis nexum. præſe- renda

§. 574.

Sed quousque hæc extendenda ſint, numquid rerumpublicarum in mundo, ſi cum ſocietate generis humani univerſa contenduntur, eadem in cunctis ratio ſit, quæ privatorum eſt civium erga rempublicam conditio? quæſtio eſt, ex cujus deciſione juris gentium difficillimi nodi facile ſolvendi, ſi ſequentia præ oculis habeas, pendent, quos, in tanta librorum, ad ad philoſophiam moralem pertinentium, farragine, nemo quidem, quod ſciam, hucusque extricavit. quousque hæc reliquas ſocietates obſtringat, nemo hactenus oſtendit

§. 575.

Quod antequam facio, in quos ramos, jus naturæ, ad varios varie applicatum, abeat, dici à me debere videtur. faciemus periculum

§. 576.

Honeſtum ſociale, quod §. 545. explicavi, ſeu jus naturæ, ſtricto ſenſu, quatenus ethicam excludit, ad integras gentes accommodatum, unà cum conſuetudinibus, in quas humanitatis cauſſa conſentiunt, ſive omnes, ſive, quando illud raro, aut nunquam contingit, pleræque, JUS GENTIUM adpellatur. interim præmittenda definitio juris gentium

§. 577.

Si præter juris naturæ ad gentes applicationem, & præter quasdam à plerisque ſeu multis receptas conſuetudines, tertium quiddam datur, quod ad antecedentium poſſit referri utrum definitio adæquata ſit?

neutrum : hæc definitio jus gentium non ex-
haurit.

§. 578.

ratio dubitandi

Memini me ex viro, juris publici, hiſtoriæque recentioris, longe peritiſſimo, cognoviſſe tabulis quibusdam publicis Gallos à Germano Imperatore, violati juris gentium accuſato propterea fuiſſe, quod illorum arma Palatinatum Rheni igne ferroque devaſtârint : quod cum jure naturali, in ſtatu belli liceat, nec ull antecedens conſuetudo, in quam rex Galliæ conſenſerit, aut conſentire debuerit, mitiorem ipſi rationem agendi potuerit imponere, au præſcribere; argumento ſit, juris gentium idear hucusque eruditis completam non fuiſſe.

§. 579.

à me decidi nequit

Quæ res à me judicari non potuit, cui null documenti inſpiciendi copia facta eſt. Man bo igitur in illius definitionis amplexu, & i tamen manebo, ut rectiora documentis pro banti, ſuo tempore lubens aſſurgam.

§. 580.

difficultates juris gentium

His præmiſſis illas primo diffultates, quæ ju gentium conſiderantibus occurrere poſſunt, u à me dictum §. 574. paucis lectori ob ocul ponam.

§. 581.

circa colendam pacem, & ſervanda pacta

Eſtne rerum publicarum, v. g. monarchiæ ariſtocratiæ, democratiæ cujusvis, ſemper ubique pacta ſervare, pacem, etiam ubi n laceſſitæ ſunt, colere, ptopter illud vinculum quo toti humano generi, univerſal ocietate c pulato, obſtrictæ ſunt?

§. 58

§. 582.

Forte in affirmantem ſententiam, more ſenatorum Romæ, inferioris ordinis, pedibus eundum exiſtimas. Quem fugit pacta ſervanda eſſe: quis neſcit, rerumpublicarum, ſi cum ſocietate univerſali comparentur, eandem eſſe conditionem, quæ eſt civium, reſpectu patriæ, cujus membra ſunt, & cui omnia debent, opes, liberos, vitam, & quid non? an ſemper colenda pax, ſervanda pacta?

§. 583.

At vero difficiles incidunt caſus, ubi mitius, & cum aliqua æquitate pronuntiandum eſt. non videtur

§. 584.

Qui nam ſunt illi, inquis, *poteſtne ingruere tempus, quo federa violanda eſſent? ubi à pace, ſancte firmata, refragantibus ſocietatis hominum univerſalis legibus, foret recedendum?* Tu quidem interim videris, ego difficiles agnoſco caſus ſequentes: probari videtur exemplis

§. 585.

Quid? ſi creſcentis vicinæ reipublicæ, & ejus quidem ambitioſo ſpiritu animatæ, potentia, omnium prudentiorum judicio, adjacentibus periculum minetur? Quid? ſi potentia creſcat hucusque legitimis modis, hæreditate, matrimoniis, armis juſtis? Quid? ſi aut nunc frangi illa majeſtas poſſit, aut nunquam? hîc enumeratis

§. 586.

Quid porro? ſi, ſolemni federe percuſſo, reſpublica ſe ad auxilia alteri, ubi neceſſe eſt, ferenda, ſanctiſſime obſtrinxerir; poſt vero, ut ſunt res humanæ vicibus obnoxiæ, fides libe- aiiisque nonnullis

rari, ſine præſentiſſima reipublicæ ruina, non poſſit? An pereundum reipublicæ, pro fidei neceſſitate obſignanda?

§. 587.

dubium quoddam

Civi moriendum eſt pro patria: quis id neſcit? Glorioſam hujusmodi mortem veteres judicarunt. Ciceroni Plancus, epiſt. Cic. fam. L. X. 23. ſcribit: *nunquam mehercule, mi Cicero, me pœnitebit, maxima pericula pro patria ſubire.*

§. 588.

exaggeratur

Numquid pro tuendis, queis univerſi generis humani ſocietas utitur, præceptis officiisque, etiam particularibus rebus publicis potius pereundum, quam à data ſemel fide reſiliendum? Nam ut reipublicæ membrum civis eſt, ſic humani generis, quà ſociati, membrum eſt quævis respublica.

§. 589.

anceps utrinque conjectura

Num pacta hoc caſu genti ſervanda? Ergo pereundum. Dura profecto lex! nec prudentibus commendanda! Numquid pacta violanda? Pendet igitur ab arbitrio paciſcentium, velintne promiſſa tueri nec ne? Facile quisque ob quodvis incommodum, quod metuit, ſe, ſi fidem præſtet, interiturum exiſtimabit.

§. 590.

quid igitur alii ſentiunt?

Audiamus ſcriptores, & ex recentioribus quidem, non ultimi ordinis, *queis de meliore luto finxit præcordia Titan,* qui, quum philoſophiæ moralis præcepta jamjam exculta erant, animum ad ſcribendum appulere. Celeberrimus

Gund-

Gundlingius, in jure Nat. & gent. edit. 1728. p. 154. §. 28. 29. ſequentia tradit:

§. 591.

Non eſt revocatio (pacti) *ſi ex poſt facto ſine culpa mea moraliter impoſſibile reddatur pactionis implementum* (quid quæſo vir celebris vocat moraliter impoſſibile?) *Si me fortunisque meis ſalvis effectum dari nequeat.* Quod igitur ſine maximo meo damno præſtare non poſſum, illius promiſſi fides, ſi ſcriptorem celebrem audias, impoſſibilis eſt. Gundlingii verba, interſperſis notis

§. 592.

Sic nemo ab altero auxilia promiſſa jure expetet, qui ipſe rebus & militibus ſuis ad propriam defenſionem indiget. Qua excuſatione uſi ſunt Hiſpani, cum promiſſum militem urgeret Imperator cum ſtatibus, è tabulis Caroli V. ratione Belgicarum provinciarum, itemque Burgundiæ. Nec deſunt hac in re aliorum principum ac Regum exempla. continuata

§. 593.

Multo minus, pergit, *perfidiæ crimen illis attribui poterit, qui extrema exſpectantes ſeſe tandem dedunt, aut à fœdere reſiliunt.* Notentur jam ſequentia. continuata

§. 594.

Ineſt enim omnibus ejusmodi pactionibus tacita conditio, ſi id ſine malo extremo meo, fieri queat. *Sed providendum eſt, ne quis extrema ſe dicat exſpectaſſe, ubi utiliores conditiones ſibi, quam alteri fœderato, offeruntur.* continuata

§. 595.

continuata — *Quod contra Anglos & Batavos, qui à ſymmachia ſine cauſſa receſſerunt, tenendum eſt, quos defendere cum Hubero de jure Civitatis ſatagunt nonnulli à violati federis culpa.*

§. 596.

ſententiæ hypotheſis — Teneamus igitur tantiſper hanc ſententiam: exiſtimemus, quidquid ſalvis meis fortunis fieri nequeat, ejus fidem, etſi adſtrinxerim, ſanctiſſimo vinculo, jure naturali ſervandam non eſſe.

§. 597.

ſed lubrica viſa — Atqui, quod jus naturæ integris gentibus indulget, id & ſingulis hominibus, eodem neceſſitatis telo ad incitas redactis, integrum erit. Neque igitur civis reipublicæ fidem & obſequium debet cum extrema ſuarum fortunarum jactura,

§. 598.

non obſtante dubio — *Atqui*, forſan inquis, *non competit civi judicium de caſu neceſſitatis, competit autem rectori reipublicæ.* Memineris vero civitatis rectorem eodem jure moderatori univerſalis ſocietatis, i. e. DEO, ſubeſſe, quo privatus ſubjicitur civitati.

§. 599.

confirmatur lubricitas. — Singulæ respublicæ, quibus applicari jus naturæ debet, mutuo ſe reſpiciunt, ut homines ſinguli, de quorum ex jure naturæ officiis finiendis, quæſtio eſt. Quidquid igitur de his valet, verum & de illis erit.

§. 600.

quid igi- — Quid ergo tandem? ſuntne ſcriptores, qui nobis

nobis heic diſtinctioribus notionibus præluxerint? Nullos equidem ſcio. Dabimus idcirco operam, ut hos nodos extricemus. tur conſilii?

§. 601.

Jus gentium, quod nihil aliud eſt, quàm applicatum ad gentes jus naturale, vid. *Heinecc. element. jur. civ. ſecund. ordin. inſtitut. Juſtinian.* edit. Amſtel. 1728. p. 13. §. 41. eſt juris naturalis nonniſi gradus infimus. jus gentium eſt juris naturæ infimus gradus

§. 602.

In juris naturæ infimo gradu conſtituti, pacem quidem colendam, & pacta ſervanda, pro utilitate publica, novimus: ſed mortem oppetendam, aliaque morti æqualia, graviora mala, ſubeunda eſſe, homines non magnopere perſuaſi ſunt. Quod jam monui ſupra §. 326. ſeqq. quousque in hoc gradu proficiatur

§. 603.

In infimo juris naturæ gradu nulla habetur remunerationis æternæ ratio, nec, quoniam ibi DEus adhuc ignoratur, & nulla immortalitatis animæ tenetur cognitio, haberi tantiſper poteſt. oſtenditur porro

§. 604.

Quamobrem, cum hoc loco, nondum exploratum ſit, omne honeſtum, i. e. quod pro natura rationali perficienda, etiam cum graviſſimo rerum cariſſimarum, & ipſius vitæ, detrimento, ſuſcipitur, DEI liberalitate, ſive nunc, ſive poſt fata, utile privatim cuique futurum eſſe: idcirco hanc adhuc juris naturæ humilem ingredientes ſemitam, bonum naturæ rationalis publicum, i. e. honeſtum, EOUSQUE addita ratione

TAN-

TANTUM PERSEQUUNTUR, QUOUSQUE IN HAC ETIAM VITA PROFUTURUM EST.

§. 605.

ab hoc honeſtatis gradu, cur ſæpe recedant? Sed cum innumeri exſiſtant caſus, quibus honeſti remunerationem mortalis hæc vita afferre non ſolet; teſte experientia: conſequitur, ut qui infimo duntaxat juris naturæ gradui inſiſtunt, toties ab honeſtate, i. e. boni publici cura, recedant, quoties id non è re ſua privata eſſe ſentiunt.

§. 606.

exſpectamus quidem ſemper honeſti præmia In omni omnino actione honeſta, ipſa fert humanæ naturæ conditio, ut præmiorum & utilitatis, etiam privatæ, reſpectus, ne à pientiſſimo quidem homine deponi queat, id, quod de amore puro locutus, ſupra probavi, §. 67. ſeqq.

§. 607.

cur? Mirum id nemini videbitur, qui conſideraverit, à natura rationali, eademque creata, non poſſe amari, niſi quod bonum eſt. Omne bonum vero, quatenus amatur, aliquo modo refertur ad amantem, qui eo quippe afficitur, delectatur, exſultat, & in eo ſe felicem eſſe, vel futurum, ſperat.

§. 608.

cur? Bonum amari nullum poteſt, niſi quod mihi ſaltim polliceatur felicitatem. Ut quisque ſui ſinum animi curatiſſime excutiet. ſic & de hac veritate ſe ſentiet maxime convictum.

§. 609.

ſed in quo Itaque id quidem hominibus, inferiorem

dun-

duntaxat honeſtatis gradum perſequentibus, vitio dari non debet, quod ſuam in publico bono perſequendo, utilitatem, ſeu felicitatem intueantur: quin id potius reprehendi meretur, QUOD TAM VACUI FIDE SINT, *nec tanquam*, ſi ita loqui fas eſt, *creditores*, DEum poſt fata debitorem habere, ejusdemque futura remuneratione confidere velint. committitur turpitudo?

§. 610.

Inſuperabilis enim & inconcuſſa veritas eſt: OMNE HONESTUM FUTURUM TANDEM ALIQUANDO UTILE: &, quo quis majora, quo atrociora mala, pro bono naturæ ſocialis publico, ſubit, eo majorem inde reportaturum utilitatem, dummodo cum animi candore prudentiam conjunxerit, i. e. caverit, ne, evitabili errore plus noceat, quam boni publici intentione deſtinatum fuit. argumentum ejus, quod aſſertum

§. 611.

Jam diſpiciendum eſt, quo in juris naturæ gradu, rerum publicarum in terra omnium, ultimus finis ſubſiſtat? Quodſi illæ ulterius non aſſurgunt, nec pergunt ad juris naturæ adſcenſus ulteriores: nemini mirum eſto, SI PACTORUM FIDEM EX OPPORTUNITATIBUS METIANTUR IN HAC VITA MORTALI EXPECTANDIS. cui honeſtatis gradui respublicæ inſiſtunt?

§. 612.

Atqui prius quidem & experientiâ, & ratione confirmatur; non igitur magnopere commovebimur altero. infimo

§. 613.

§. 613.

probatur ab experientia

Experientia illa ſane argumento, ſeu allegando rem experiundi caſu, quod illis injungitur, qui ad experientiam provocant, vid. Wolff. Logic. lat. §. *666.* p. 482. edit. 1728. opus hac vice non habet: quum toto die occurrat.

§. 614.

quæ cauſſa rei?

Illud fortaſſe notari meretur, quæ cauſſa rei, quam ita experimur, impellens exſiſtat? Exiſtimo eam eſſe in promtu.

§. 615.

aſſignatur

Homo in univerſum omnis animal eſt, pravis cupiditatibus ſcatens: ex his mala oriuntur innumera, ex malis id exſiſtit, ut non omne honeſtum in hac vita afficiatur præmio: qui eventus tandem efficit, ut ſibi quisque, quantum poteſt, in hac vita proſpiciat.

§. 617.

Platonis respublica quid inferret?

Platonis respublica ſi, per hominum pravitatem, habere locum poſſet: omne honeſtum foret & in hac vita utile: ideoque omnia pacta ſervarentur, pax nulla turbaretur, nec denegaretur ullum humanitatis officium, paratis ſubinde præmiis. Sed aliter comparatam hominum naturam, nimis, proh dolor! perſentiſcimus.

§. 618.

probatur à ratione.

Sed & ratio docet, ad experientiam accedens, nullam in orbe rempublicam, ultra primum juris naturæ gradum, ne prima quidem ſui deſtinatione, eſſe evectam.

§. 619.

§. 619.

Omnium civitatum finis ultimus, duplex, uterque hujus vitæ ambitu (alia ratio eſt juris naturæ) clauſus eſt. Alter ponitur in ſecuritate, in majori aſſequenda commoditate alter.

à fine civitatum.

§. 620.

Illa extremam hujus vitæ miſeriam depellit, latrocinia, cædes, perjuria, turbas &c. cavet: hæc commerciorum, artium ſcientiarumque, opificiorum, maxime bonarum legum adjumento, vitam hanc mortalem inſtructiorem reddere inſtituit.

explicatur duplex finis

§. 622.

Utrumque ad hanc vitam pertinet. Nec veteres aliter ſenſerunt unquam. Sane Ariſtoteles, qui ex inſtituto de republica ſcripſit, Libr. VIII. cap. 1. p. 570. edit. Theodor. Zwinger. Baſil. in eandem ſententiam pronuntiat.

uterque hujus vitæ ambitu clauditur

§. 622.

Τὸ γὰρ ἦθος τῆς πολιτείας ἑκάστης, τὸ οἰκεῖον, καὶ φυλάττειν εἴωθε τὴν πολιτείαν. *Indoles namque uniuscujusque reipublicæ, ſua & propria & tueri ſingula ſolet.*

teſtimonium Ariſtotelis

§. 623.

Quamvis enim Ariſtoteles, naturæ inſtinctu, in civitatem homines coiviſſe ſentiat; metum tamen & indigentiam auxilii, impellentem unà cauſſam eſſe affirmat.

auxilium civitatibus propoſitum contra injurias, dictantis.

§. 624.

Dilucidius Ariſtoteles id nuſpiam ſcribit, quàm L. I. cap. 2. p. 7. edit. cit. ὥσπερ γὰρ τελωθὲν βέλτιστον τῶν ζώων ἄνθρωπος ἐστιν οὕτω καὶ

verba ejus

χωρισθὲν

χωριϑὲν νόμȣ καὶ δίκης, χέιρισον πάντων - - - ἡ γὰρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐςίν.

§. 625.

latina

Sicut enim homo perfectiſſimum & optimum eſt omnium. - - - Jam vero juſtitia maxime cum civitatibus convenit.

§. 626.

declarantur

Hoc, ni fallor, ſignificat: cum homo maxime nocere poſſit, quod juſtitia vetat fieri, quæ omnium optime in civitatibus obtineri poteſt; finem civitatum eſſe injuriarum depulſionem, & juſtitiæ adminiſtrandæ ſpem.

§. 627.

teſtimonium Tullii

Ejusdem argumenti eſt, quod Cicero docet, de offic. L. II. cap. 21. §. 6. *nam etſi duce natura congregabantur homines, tamen, ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant,* & paulo ante: *hanc enim ob cauſſam maxime, ut ſua tenerentur, reſpublicæ, civitatesque conſtitutæ ſunt.*

§. 628.

cur igitur civitates à pactis interdum recedant?

Quoniam igitur civitates non eo fine coaluerunt, ut honeſtatis ſtudium ſectarentur ſumma contentione, etiam cum ſuo ipſarum interitu dummodo præmia tandem condigna manerent ſaltim in altera vita: ſane mirum non eſt, easdem à pactis juſtiſſime percuſſis, reſilire, cum primum præſtita fides allatura magnum eſt incommodum.

§. 629.

neque id faciant

Alia ratio civium eſt, privatorumque alicui reipublicæ obnoxiorum: qui cum in tuendum civitati

civitatis bonum publicum, ita conſentiant, ut vel, pro re nata, vitam poſituros, pro reliquis, ſocietate conjunctis; polliceantur: non idem rebuspublicis reſpectu ſocietatis hominum univerſalis, quod privatis, erga particularem, cui ſubſunt, rempublicam, officii datum eſſe intelligitur. Quæ eſt ſolutio ænigmatis, §. 588. ſeq. privati eadem jure?

§. 630.

Sed ne id malignius, quam par eſt, quisquam interpretetur; ſciendum eſt; non eo caſu licere, in hoc infimo juris naturæ gradu conſtitutis; à pactorum fide deſciſcere; ubi vel mediocris, vel magna in contrariam partem utilitatis ſpes affulget: ſed ubi tantum ſive interitus, ſive extremæ miſeriæ metus evitandus eſt. cautela

§. 631.

Forte nonnemo dicat: qui in ſocietates coeant, homines utique eſſe; ut vero ſingulorum hominum ſit; virtutem; id eſt rationalis naturæ publicum bonum omne, pro viribus; ſectari; tametſi in eo conatu mors oppetenda eſſet; quum & poſt fata DEus renumerator futurus ſit: ſic eodem vinculo adſtringi univerſas civitates humani generis particulares. dubium

§. 632.

At enim vero, non dicam, civitates non mori, privatos autem ex hac vita emigrantes, tandem præmiorum capaces poſt hæc futuros eſſe: hoc tantum meditaturo expendendum relinquam: ſolvitur.

§. 633.

Quod ſi ſocietatis univerſalis leges, naturâ notæ, eo modo darentur exſequutioni, quo continuatur ſolutio

 particu-

particularium rerumpublicarum inſtituta, ab una quadam ſumma poteſtate, civibus obſervanda, injunguntur: dubium non eſſet, quin, ne in extremo quidem caſu, adſtrictæ fidei, violandæ cauſſam, respublica particularis haberet unquam. Sed quis eſt, cui non contrarium in hoc orbe obverſetur quotidie?

§. 634.

fundamentum ſolutionis

Ut enim particulares civitates in aliquod imperium ſummum conſentiunt, à quo exſequutio & legum naturalium, & reliquarum, ſi quæ arbitrariæ feruntur, dependet: ita deeſt ſocietatis univerſalis ſuprema quædam poteſtas, in oculos cadens, cujus arbitrio, & particularibus de ſecuritate cautum, & fœdifragis pœnarum metus propoſitus eſſet.

§. 635.

in hypotheſis

Si, quod nunquam, niſi in Platonis idea continget, omnes terræ reges in quoddam commune arbitrium conſentirent, cujus auctoritate & coortæ inter respublicas pugnæ componerentur, & punitis, communi manu armata, fœdifragis, injiceretur frenum, etiam ſi juſto concuſſæ metu eſſent, eodemque grandi: uti nec propter eundem ſingulis civibus vindicta competit, ſi moræ periculum excipias: profecto reipublicæ particulari, hoc caſu potior interitus, pro communi totius generis humani pace ſusceptus, eſſe deberet, (ut & militibus pro republica eſt) quam pacis univerſalis turbatio.

§. 636.

conſectarium

Jam vero, etſi illa ſocietas univerſalis, firmata

ſanctis

ſanctis præceptis ſit, tamen cum ea nemo exſequutioni mandet: mirum non eſt, ſingulas respublicas non aliter ſe reſpicere mutuo, quam cives regni, anarchiâ ſoluti, in quo nulli ſecuritas, niſi ex ſe ipſo ſperanda.

§. 637.

Polonum, ſi Polono fidem adſtrinxerit ſanctiſſime, tamdiu obligari dicemus, dum extrema miſeria, complemento pacti, homini non ipſi impendeat. illuſtratur

§. 638.

Hæc ſane cauſſa eſſe videtur, quamobrem nonnulli ſocietatem illam univerſalem, de jure in factum quoque ut tranſeat, exiſtimaverint eſſe formandam. votum virorum doctorum.

§. 639.

Aliquid ejusmodi, ſed umbræ inſtar, quod ſocietatem univerſalem, ſaltem inter respublicas chriſtianas, repræſentaverit, obtinuiſſe olim, Leibnitius in præfat. Cod. dipl. p. 9. innuit. umbra ſocietatis univerſalis

§. 640.

Et in uuiverſum, inquit, *nec ſane præter rationem, ante ſuperioris ſeculi Schiſma, placuiſſe diu video, ut quædam gentium chriſtianarum respublica communis intelligeretur, cujus capita eſſent, in ſacris, Pontifex maximus, in temporalibus, Imperator Romanorum.* verbis Leibnitii

§. 641.

Qui & de veteris romanæ monarchiæ jure retinuiſſe viſus eſt, quantum ad commune chriſtianitatis bonum opus eſſet: ſalvo jure Regum & Principum libertate. continuatis

§. 642.

fundamentum rationis ſtatûs & des coups d'etat

Utut hoc eſt: cum interim ſocietatis univerſalis leges effectu careant, ſuam quæque respublica curam in id intendit, ut omne imminens periculum, quoad fieri poteſt, avertat: quod ſi ingens, ſi nec imaginarium, ſi certum ſit, etſi nulla adhuc alterius culpa, quæ probari poſſit, aut in externum eruperit opus, quod, ut Cicero loquitur, manu teneri poſſit, intentatum: occaſionem tamen præbet rei, non omnibus, qui obiter judicant, probatæ, quæ dicitur RATIO STATUS.

§. 643.

quæ ſit ratio ſtatus ſtricto ſenſu

Poſſis tamen per me rationem ſtatus & illam vocare, quæ non tam ad alias gentes, quam ad ſubditos pertinet, juxta illud Taciti: in annal. L. I. cap. 6. p. 18. 19. edit. Gronov.

§. 644.

teſtimonio Taciti

Ne arcana domus, ne conſilia amicorum, ne miniſteria militum vulgarentur: neve Tiberius vim principatus reſolveret, cuncta ad ſenatum vocando, eam conditionem eſſe imperandi, ut non aliter ratio conſtet, quam ſi uni reddatur.

§. 645.

coup d'etat

Quare illud, cujus §. 642. memini, adpellare ſolent *un coup d'etat*: quo licet fallere, quo licet fidem violare, quo licet reſilire à federibus, dummodo ſecuritas præſtanda obtentui ſit.

§. 646.

res diffi-

Diffitendum tamen non eſt, privatos homines

nes, ne perſpicaciſſimos quidem, dijudicare ſemper poſſe, ſitne ejusmodi ſtatûs artificium, (liceat ita vocare) ab extremæ neceſſitatis metu provocatum, nec ne? cilis judicatu.

§. 647.

Quod Cicero ad Atticum, ſive vere, ſive falſo ſcribit, Libr.II. epiſt. 1. T.III. edit. Gothofr. p. 312. litt. C. D. id ſane pronuntiari de pluribus civitatum moliminibus debet, quamvis ubique excuſatius peccari negem. Tullii ſententiâ

§. 648.

Nam Catonem noſtrum non tu amas plus, quàm ego: ſed tamen ille optimo animo utens, & SUMMA FIDE NOCET INTERDUM REIPUBLICÆ. fides ſæpe nocet

§. 649.

Quæſo, cur negotiorum Romæ publicorum peritiſſimus, Cato Civitati quandoque nocuit? Addit Tullius rationem. Dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ non tanquam in Romuli fece ſententiam. cur?

§. 650.

Hoc iis evenire ſolet, qui optima quæque in omni genere ſpectant, non animadvertentes, præclare ſæpius tum cum genere humano actum eſſe, ſi inter duo mala eligere minus liceat, nec malum, bene poſitum, movendum eſſe loco, ſentiunt. judicium

§. 651.

Neceſſitas durum telum eſt, civitatum quoque rectores, ne tanquam in Platonis πολιτείᾳ degant, ſæpe numero jubens, à federibus recedere, temporum injuria coactos. neceſſitas ſola fundamentum illius artificii

§. 652.

Pufendorfius

Animum hîc ſubit exemplum minime obſcurum, quod Pufendorfius, de *rebus geſtis Friderici Wilhelmi* Libr. XI. §. 103. p. 859. edit. Berol. 1695. recenſet.

§. 653.

exemplum recenſet

Poſtquam p. 860. pluribus expoſuerat, *Chriſtianum Ludovicum Kalcſteinium*, Tribunum dimacharum, qui in iſthoc munere multa immanitatis exempla ediderit, meruiſſe tandem, ut iis officiis privaretur &c. tum in gratiam receptum, qua denuo exciderit, proripuiſſe ſe Warſoviam: tandem impia hominis facta recenſet, quæ in electorem Warſoviæ commiſerit, patrocinio Polonorum uſus.

§. 654.

prolixius

Subjungit autem, artificium quod electoris ad Polonos legatus adhibuerit, non obſtante juris gentium dictamine, quô à vi inferenda civi ſive perpetuo, ſive temporario, legatus prohibetur.

§. 655.

verba ejus

Verba Pufendorfii ipſa p. 861. ita habent: *tantorum igitur malorum materiam & diſcordiæ auctorem vel cum aliquo ſuo periculo è medio amovere fas piumque Brandius* (Legatus) *judicabat.*

§. 656.

hiſtoria Kalckſteinii ex Pufendorfio

Latebat in ipſius ædibus Mongommerius cum aliquot equitibus, è Boruſſia miſſis ad Kalcſteinium à Rege deditum, uti ſpes erat, abducendum. In eas ædes Kalkſteinius ſemel atque iterum acceſſerat aliquot armatis ſtipatus. Sed cum pridie lit-

teras

teras protectorias accepiſſet, his fidentior ultro, nec invitatus, uno comitante, in Brandii conclave introivit.

§. 657.

Ubi cum multa digna indigna blateraret, is evocato Mongommerio, & equitibus, ſubito absque tumultu comprehenſum, inde manibus pedibusque ligatum, ac ore obturato, ne clamorem tollere poſſet, tapetibus involutum, in clauſum currum conjici, ac equitibus iſtis comitantibus, in Boruſſiam abduci curavit. Qui tamen, cum ad tertium à Warſavia milliare perveniſſent, curru extractum equo impoſuere. continuata

§. 658.

Poſtea p. 863. nunquid hæc Electoris auctoritate facta ſint, ſequentibus exponit: *itaque placuit diſſimulare Kalkſteinii abductionem electoris juſſu factam; ſicuti & revera elector, ut ea tali modo & loco fieret, non præſcripſerat, etſi ut iſte in poteſtatem redigeretur, in univerſum juſſiſſet, tali modo, qui nihil tumultûs excitaret. Prout Brandius,* (Legatus) *ut ejus facti invidia in ipſum ſolum derivari poſſet, poſtea ſparſerat, electoris injuſſu iſtum abs ſeſe abductum. Quæ & tutiſſima via erat, regi, qui hoc facto offenſum ſe judicabat, ſatisfaciendi, ejusque exiſtimationi conſulendi.* quæ juſſu electoris facta, tum fuerunt diſſimulata

§. 659.

Ne igitur majores inter Poloniam, Boruſſiamque electoris, turbæ orirentur, factum hîc eſſe cognoſcimus, quod an cum jure gentium ordinario conciliari queat, haud equidem ſcio. hæc fuit ratio ſtatus.

Sed ſæpe ſublimior cauſſa in ordinario jure exceptiones fundat.

§. 660.

quæ jura mire mutare ſolet

Imo ſæpe jus naturæ, jure gentium, jus gentium, jure militari, ſeu armorum, jus armorum, jure legatorum, jus legatorum jure regio mutari videas, jus regium, neceſſitate: hinc illud ortum: **in omnibus magnis negotiis eſt aliquid iniqui.**

§. 661.

ejus fundamentum, neceſſitas, metus externus, internus

Illa ipſa neceſſitas, uti ab externa vi duplici ratione imponi poſſe videtur, & **nimium creſcentis vicinæ potentiæ metu, & foederis alicujus implendi maximo periculo:** ita aliam quoque neceſſitatem bellorum civilium imminens atrocitas reipublicæ ſæpius minatur.

§. 662.

probatur exemplo Eliſabethæ

Primum illud omni ævo frequentatum fuiſſe videas. Utrumque autem docet Georg. Hornius, orb. imper. fol. 338. *Principia Eliſabethæ reginæ duo fuerunt: nimirum perpetuo defendere partem Proteſtantium contra Pontificios, & Hiſpanorum potentiam, quibuscunque poſſet modis, debilitare ac frangere: hinc Francis, Belgis, Luſitanis, contra Hiſpanos perpetua tulit auxilia.*

§. 663.

quod Jacobus non ſecutus

Hæc duo principia ſtatim funditus evertit Jacobus I. pace facta, cum Hiſpano, & Proteſtantibus calamo quidem, quod etiam privati poſſunt; non gladio defenſis. Hinc paulatim

cor-

corruptio in aula, & ipſa Anglorum gens per ſe bellicoſa, deſuetudine armorum res novas capere & affectare cœpit, ac deinceps fumare Anglia, ſub hoc rege, ſub filio erumpere flamma.

§. 664.

Summus vir, & inter maximos familiam ducens, Franc. Baco Verulamius de augment: & dignit. ſcient. L. VIII. cap. 3. fol. 240. *ex pace,* inquit, *deſide ac torpente, & emolliuntur animi & corrumpuntur mores.*

§. 665.

Non tamen aſſurgo auctori de l' hiſtoire du Miniſtere du cardin. de Richelieu fol. 39. b. niſi quatenus cum his noſtris conſentit. citantur

§. 666.

Il' n'y a point de maxime plus aſſurée de la decadence d'un Etat, que de voir, qu'un Miniſtre n'aye point d'autre ſoin, que de le faire ſubſiſter dans un paix oiſive: car comme les Etats ſe minent par les guerres, qui ſont entrepriſes temerairement: auſſi s' affoibliſſent par l'oiſivité, & les laiſſent par ce moyen expoſez en proye aux Etrangers. verba ejusdem Politici

§. 667.

Ex his tandem omnibus intelligitur, ſi per præſentem vitæ humanæ conditionem, ſocietatis illius univerſalis præcepta, curatius exſequutioni mandari poſſent: nunquam futurum, ut jus gentium, tam multas à jure naturæ abeundi, occaſiones, ſive juſtas, i. e. in vera neceſſitate fundatas, ſive injuſtas, quæ tantum neceſſitatis prætextu utuntur, ſibi oblatas cerneret. conſectarium

§. 668.

de ſocietatibos particularibus

Sed de his ſatis. Nunc à ſocietate univerſali omnium, ad particulares deſcendendum eſt. Jus gentium, ſicuti applicatione, juris naturæ ad gentes facta, oriri diximus: §. 576. ſic jure naturali, ad particularium civitatum formam regiminis, adplicato, jus publicum univerſale exſiſtat neceſſe eſt.

§. 669.

jus publicum quid?

Quid enim eſt jus publicum omne, *quam prudentia* nexûs illius, quo cum Imperatoribus colligantur ſubditi, *ejusdemque conſervandi, excolendi, ex legis naturæ præceptis*, quæ omnia, non per ſe damnoſa, augeri, & in meliorem, i. e. utiliorem homini conditionem, vocari, leges naturæ jubent. vide §. 300.

§. 670.

ejus lex fundamentalis

Summa igitur, ac fundamentalis, Jurisprudentiæ publicæ omnis, lex hæc eſt: SUA CUIQUE CIVITATI CONSERVETUR FORMA REGIMINIS, nexusque ille, quo Imperans ac ſubditi mutuo ſibi devincti ſunt.

§. 671.

Ariſtotelis conſenſus

Non deſcedit, inter veteres, ab hac ſententia, Ariſtoteles, qui L. VIII. cap. 1. p. 570. de Republica, edit. ſæpe citat. his verbis utitur:

§. 972.

verba ejus

Τὸ γὰρ ἦθος τῆς πολιτείας ἑκάστης τὸ οἰκεῖον, καὶ φυλάττειν εἴωθε τὴν πολιτείαν, καὶ καθίστησιν ἐξ ἀρχῆς. οἷον, τὸ μὲν δημοκρατικὸν, δημοκρατίαν, τὸ δὲ ὀλιγαρχικὸν, ὀλιγαρχίαν. ἀεὶ δὲ τὸ βέλτιστον ἦθος βελτίονος αἴτιον πολιτείας.

§. 673.

Nam uniuscujusque reipublicæ adminiſtrandæ, forma, propria indoles, atque ut ita dicam ingenium proprium, & reipublicæ adminiſtrandæ FORMAM TUETUR, & ab initio conſtituit: v. g. *indoles Democratiæ conveniens, Democratiam tuetur, Oligarchiæ, Oligarchiam.* latina

§. 674.

Suam cuique igitur civitati formam, & indolem relinqui, æquum eſt. Ut tamen jus gentium, neceſſitatis ſive veræ, ſive fictæ ac ſimulatæ prætextu, vel mutatur, vel violatur: ſic iisdem de cauſſis eadem fata jus publicum rerum publicarum experiatur neceſſe eſt. quomodo jus publicum quandoque mutetur?

§. 675.

Inde pendet, quidquid novarum rerum, quas quidam moliti ſunt, ullo unquam tempore civitatibus illatum eſt. Sæpe ex ariſtocratia ſeu democratia monachiam, hominum turbulentorum tumultu enatam videas: ſæpe viciſſim, ex monarchia prodeuntem ariſtocratiam ſeu democratiam. conſectarium

§. 676.

Romanæ reipublicæ converſio, quâ in unius tandem principatum abiit, hoc ipſo prætextu palliata fuit, ſive excuſata: ſic enim Tacitus Annal. L. I. cap. 9. p. 30. edit. Gronov: exemplum à romanis

§. 677.

Hi (Auguſtum) *pietate erga parentem, & neceſſitudine reipublicæ, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quæ NB. neque parari poſſent, neque haberi per bonas artes.* Auguſti

artes. Multa Antonio, dum interfectores patris ulciſceretur, multa Lepido conceſſiſſe. Poſtquam hic ſocordia ſenuerit, ille per libidines peſſum datus ſit NON ALIUD DISCORDANTIS PATRIÆ REMEDIUM FUISSE, QUAM UT UNO REGERETUR.

§. 678.

Tarquinii Sed eadem reſpublica romanorum, exemplo eſt, abolito principatu, quo forte perperam Princeps utitur, civitatis formam in ariſtocratiam diſcedere poſſe. Satiſne tamen Bruto & collegæ cauſſarum fuerit, Tarquinio abrogandi imperium, principatumque cum conſulatu commutandi? equidem neſcio.

§. 677.

ob hanc rationem ſolio dejecti Id autem me Livius docet L. I. cap. 59. p. 114. edit. Gron. factum id fuiſſe ob cauſſam ſequentem: *Brutus illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantem cruore præ ſe tenens:*

§. 678.

uberius exponitur *Per hunc, inquit, caſtiſſimum ante regiam injuriam ſanguinem juro, vosque Dii, teſtes facio, me L. Tarquinium ſuperbum, cum ſcelerata conjuge, & omni liberorum ſtirpe, ferro, igni, quacunque dehinc vi poſſim, exſequuturum, nec illos nec alium quemquam regnare Romæ paſſurum.*

§. 679.

neceſſitas lege ſuperior & jure. Quantacunque igitur juris publici firmitas ſit, tamen eſſe caſus quidam neceſſitatis eſſe excepti intelliguntur, quorum eventu illud mutari poſſit.

poſſit. Quod generatim de omni jure verum eſt, cujus nulla ſpecies exſiſtit, quam non neceſſitatis ferreo pariete circumſcriptam eſſe cerneremus.

§. 680.

Nec tamen neceſſitas non habere legem dicenda eſt, cum IPSA SUPREMA LEX SIT. Quid enim eſt lex, quam regula ſequendi boni publici? Quid eſt neceſſitas, quam majus malum, metuendum, ſi hoc caſu, hanc ſequerer utilitatem, quæ videtur publica? **quo ſenſu neceſſitas non habeat legem?**

§. 681.

Neque igitur neceſſitatem legi infeſtam, ſed amicam eſſe cognoſcimus: cum hunc neceſſitatis caſum ſuo ambitu lex nunquam comprehenderit, quem à neceſſitate præceptum, ſublimior hujus lex pridem ſibi vendicaverat. **non comprehenditur ſub lege, quâ major eſt**

§. 682.

Jus ad caſum, ob neceſſitatem, exceptum, applicare, id ipſum eſt, quod veteres ſignificarunt proverbio: SUMMUM JUS SUMMA eſt INJURIA. Vid. Terent. Heavtont. Act. IV. ſcen. 4. verſ. 48. p. m. 371. **ſummum jus, ſumma injuria, quemodo?**

§. 683.

Sic, quum Cæſaris interfecti amicos, ulciſcendorum cædis auctorum, plus juſto cupidos, ſentiret Cicero: hoc maxime dicto ad ſedandos animos uſus eſt: multa quidem crimina exprobrari & Cæſari, & interfectoribus: ſed jam reipublicæ neceſſitatem non permittere, ut de iis omnibus vindicandis cogitetur: ſummum quippe jus incommodaturum urbi, non **exemplo illuſtratur Cæſaris**

igitur eſſe jus ulciſcendi, ob temporum præſentium difficultatem ſummam, ad caſus hos, eosdemque nunc exceptos, extendendum.

§. 684.

verbis Dionis Caſſii

VerbaDionisCaſſii in hanc rem, Libr. XLIV. in Jul. Cæſ. p. 256. edit. Joh. Leunclav. 1606. ita habent: πολλὰ μὲν ἄντις καὶ αὐτῷ τῷ καίσαρι ἐγκαλέσειεν, ὥςε καὶ δικαίως αὐτὸν πεφονεῦσθαι δόξαι. πολλὰ δὲ καὶ τὺς ἀποκτείναντας αὐτὸν αἰτιάσαιτο, ὥςε καὶ τιμωρίας αὐτὺς ἀξίυς εἶναι.

§. 685.

continuatis

Ἀλλὰ τῦτο μὲν ἀνδρῶν ἔργον ἐςὶ ςασιάσαι αὖθις ἐπιθυμῦντων. Δεῖ δὲ τὺς ὀρθῶς βυλευσομένυς μὴ τὸ πάντη δίκαιον ἐξακριβῦντας βλάπτεσθαι, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐπιεικεῖ προσχρωμένυς σώζεσθαι.

§. 686.

latinis

Multa quidem ſunt, quæ Cæſari vitio verti poſſunt, ita ut jure cæſus videri poſſit: multa etiam crimina objici ejus interfectoribus poſſunt, ut pœna digni exiſtimari queant. Verum hoc agere eſt hominum novas ſeditiones expetentium: qui autem recte conſultum rebus volunt, NON SUMMUM JUS PERSEQUENDO *incommodare urbi, ſed eam æquitate adhibita conſervare.*

§. 687.

malum aliquando permittendum

Multa hic latent altioris indaginis. Nam ſi gravis neceſſitas, legem ordinariam quandoque ut ſuſpendere liceat, non immerito efficit: qui ex ſingularibus, generales veritates animo ſeparare didicerunt, facile ſubodorabuntur, latere hic rationem, cur, & quando LICEAT MALUM

LUM PERMITTERE ? Id quod in theologia ſuo non deſtituitur uſu.

§. 688.

Plura his non addam, ut ad inſtitutum de oratoris officio redeundi via mihi expeditior pateat. Honeſti ſocialis, præter jus gentium, quod ſocietate univerſali utitur, & jus publicum univerſale, quod ſingulis civitatibus, in ſuo cum inferioribus nexu, conſulit, gradus dari, Cicero dudum profeſſus eſt. gradus ſocietatum ideoque honeſti ſocialis

§. 689.

Verba ejus de offic. L.I. cap. 17. §. 1. p. 191. edit. Roth. hæc potiſſimum ſunt: *gradus autem plures ſunt ſocietatis hominum. Ut enim ab illa infinita diſcedatur, propior eſt ejusdem gentis, nationis, linguæ, quâ maxime homines conjunguntur: interius etiam eſt ejusdem eſſe civitatis.* probantur teſtimonio Tullii

§. 690.

Multa enim civitatibus ſunt inter ſe communia, forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, ſuffragia, conſuetudines præterea, & familiaritates, rationesque contracta. continuate

§. 691.

Arctior vero colligatio eſt ſocietatis propinquorum: ab illa enim immenſa ſocietate humani generis in exiguum, auguſtumque concluditur. Hæc Cicero. continuate

§. 692.

Nimirum ſocietates aliæ aliis uti arctiores, & magis particulares ſunt; ita quoque honeſtum, quod eis convenit, ſeu earum utilitas communis, varie affici ſolet. inde variat honeſtas individua

§. 693.

§. 693.

cur, & quomodo? Nulla quidem ſocietas particularis, inde à maxima republica ad tenuiſſimæ caſæ familiam, ea ſequi debet, quæ ſocietatis hominum omnium univerſalis legibus derogarent, i. e. quæ pro ſua commoditate pacem reliquorum quorumvis turbarent: licet tamen omnibus, pro **locorum**, quæ *incolunt*, pro **temporum** in *queis vivunt*, pro **indolis**, *qua cives nati ſunt*, *pro* **vicinorum**, *quos confiniis attingunt*, *pro* **eventuum cœli** *& naturæ totius*, *qui præter ſpem accidunt* **varietate**, **ſtudio**, **caſu**, *generales juris naturæ regulas* **determinare, non tollere.**

§. 694.

individua honeſtas ſimili illuſtrata Nam ſicuti una omnium hominum natura eſt, quæ, in corpore organico, mentem intelligendi facultate præditam, gerit; neque tamen non pro **cœli**, **ſoli**, **parentum**, **temporis**, **educationis**, *mira diverſitate*, homines infinitis modis variant, quæ eorum individua indoles exſiſtit: ita, quamvis præcepta juris naturæ, quæ utilitatem totius humani generis, **pace** & **amicitia** *præſcripta*, injungunt, omnium ſint hominum eadem; tamen individuæ conditiones, TEMPUS & LOCUS, illam omnibus propoſitam, aut ſaltim propoſitu neceſſariam, utilitatem generis humani totius, infinitis modis variant, honeſtatisque **hujus & illius** *maximum pariunt diſcrimen.*

§. 695.

§. 695.

Nam qui hoc loco generi humano hâc via prodeſſe poteſt, altero loco non poteſt: nec locis ſejuncti ex æquo ubique prodeſſe poſſunt. Quod hoc tempore naturæ rationali inſervit, alio non inſervit, nec idem omni tempore honeſtum ex jure naturæ eſt. confirmatur

§. 696.

Quod obſervaſſe ſummas difficultates diſſipabit, paſſim in ſcientiis obvias, de polygamia patrum, de jure regum, 1. Samuel. 8. v. 11. 12. ſeqq. de evangelio, omnibus quidem deſtinato, non ubique tamen, & ſemper docendo, vid. exemplum in hypotheſi Actor. 16. v. 6. 7. de non impedito peccato, &c. utilitas ſumma obſervationis

§. 697.

Injuſtitiam igitur, i. e. quod particulari ſocietati, vel minimæ detrahit, nec compenſatur majori commodo ſocietatis amplioris ſubordinantis, in omni omnino ſocietate, & homine privato, deteſtabilem eſſe, nemo jam eſt, quin pervideat. quid ſit injuſtitia?

§. 698.

Latrocinatio, non ſocietas eſt, ubicunque hominum conjunctorum multitudo, non habita univerſalis hominum commodi ratione, omnia ex ſuis privatis metitur emolumentis. injuſta ſocietas latrocinatio

§. 699.

Ex hac ipſa ratione Auguſtinus de civitate DEI, L. XIX. cap. 21. p. 823. edit. Francof. & Hamb. 1661. negat fuiſſe unquam rempublicam romanam. Auguſtini teſtimonium

§. 700.

recitatum *Breviter*, inquit, *rempublicam* (Scipio) *definit eſſe rem populi. Quæ definitio ſi vera eſt, nunquam fuit romana respublica: quia nunquam fuit res populi. Populum enim definivit cœtum multitudinis, juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatum.*

§. 701.

continuatur *Paucis interjectis*, pergit: *falſum eſſe, quod à quibusdam non recte ſentientibus dici ſolet: id eſſe jus, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt. Quocirca, ubi non eſt vera juſtitia, juris conſenſu ſociatus cœtus hominum non poteſt eſſe.*

§. 702.

judicium de his verbis Probat deinceps, ſed argumento longius ex theologia petito, juſtitiam romanis non cultam, quia dæmonibus homines, nec DEO ſubjecerint, nec ſuum cuique tribuerint: ex quo nullam eorum rempublicam fuiſſe affirmat. Quamvis ego aliter philoſopharer, romanorum ſi publica facinora demonſtrare cuperem: tamen ex his intelligitur, juſtitiæ ſtudium quanto ſit rebus publicis neceſſarium opere.

§. 703.

judicium de eo: an juſtum non ſit niſi utile potentiori? Cæterum illud axioma: id juris eſſe, quod ei, qui plus poteſt, utile ſit, veriſſimum eſt, ſi de DEO intelligatur. Utile autem DEO nihil eſt, niſi quod idem ſit ei glorioſum: glorioſum vero ipſi judicatur: ſocietatem humani generis omnem, immo vero, univerſum mundum, cum ſuis, qui ratione præditi ſunt, incolis,

incolis, quotidie magis augeri, & perfici: quæ noſtra eſt honeſti definitio. vid. §. 300.

§. 704.

Tanto deteſtabilior eſt Spinozæ ſententia, qui juſtitiæ omnis fundamenta evertit, &, qui NB. fons eſt illius erroris, easdem cauſſas, quæ DEum mala permittentem juſtiſſimum declarant, etiam in homines, mala perpetrantes, cadere poſſe putat. Verba ejus, ut rectius judicari poſſint, pro anguſtia ſpatii, allegabo, ex Tractat. Theol. polit. cap. XVI. p. 176. 177. edit. Hamburg. apud Heinric. Kuhnrath. 1670. Spinozæ ſententia

§. 705.

Ex quibus ſequitur jus & inſtitutum naturæ, ſub quo omnes naſcuntur, & maxima ex parte vivunt, nihil, niſi quod nemo cupit, & quod nemo poteſt, prohibere: non contentiones, non odia, non iram, non dolos, nec abſolute aliquid, quod appetitus ſuadet averſari: nec mirum, nam natura non legibus humanæ rationis, quæ nonniſi hominum verum utile, & conſervationem intendunt, ſed infinitis aliis, quæ totius naturæ, cujus homo particula eſt, æternum ordinem reſpiciunt: EX CUJUS SOLA NECESSITATE *omnia individua certo modo determinantur ad exſiſtendum, & operandum.* conceptis verbis propoſita.

§. 706.

Quidquid ergo nobis in natura ridiculum, abſurdum, aut malum videtur, id inde venit, quod res tantum ex parte novimus, totiusque naturæ ordinem & cohærentiam maxima ex continuata

parte ignoramus, ET QUOD OMNIA EX USU NOSTRÆ RATIONIS DIRIGI VOLUMUS, *cum tamen id, quod ratio malum eſſe dictat, non malum ſit reſpectu ordinis, & legum univerſæ naturæ, ſed tantum reſpectu ſolius noſtræ naturæ legum reſpectu.*

§. 707.

refutatio ejus. oſtenditur dubii vis

Appetitus malos omnes, ſi non legibus noſtræ rationis, ſi non humano generi, utiles ſint, certe tamen conſentaneos & utiles eſſe univerſæ naturæ, auctor ob hanc rationem contendit: quia nos totius cum illis pravis cupiditatibus naturæ univerſalis nexum ignoremus, ideoque de eorum convenientia, cum toto mundo ferre nequeamus judicium.

§. 708.

reſpondetur

Primum mendacium, reliquis omnibus ſubſtratum, eſt, omnia, ideoque & actiones hominum, ex naturæ univerſæ legibus, tam neceſſario fieri, quam neceſſe eſt lineas curvas, a una ſui extremitate ad alteram, proximam no[n] emetiri viam.

§. 709.

falſam ſubſterni hypotheſin

Jam ſi hoc verum eſt: actiones hominum v[el] indigniſſimæ naturæ univerſi non minus con[ve]niant, ſi quidem fiunt, oportet, neque magi[s] eidem noceant, quam quidem naturæ curvaru[m] detrahit, aut ab eadem abhorret, non prox[i]mam, ab una ſui extremitate ad alteram, eme[ti]ri viam.

§. 710.

vanitas

Sed cum ejusmodi geometrica neceſſitas, r[...]
i[...]

in leges quidem motûs, quibus corpora regun- tur, cadat; id quod Leibnitius, invictis modis demonſtratum ivit, ex teſtimonio Theodic. §. 345. itemque Wolffius, in Coſmolog. lat. §. 527. p. 409. edit. 1731. nec vero etiam illa neceſſitas geometrica conveniat facultati animæ, quatenus cum ratione & intelligenter agit: id quod illi demonſtrarunt, qui libertatem menti aſſeruerunt noſtræ: corruat totum hoc ſyſtema neceſſe eſt. hypotheſeos probatur

§. 711.

Qui enim tum hôc, tum illô agere modo poteſt, in ipſiſſimo HOC EODEM rerum ſyſtemate, illi ſunt diverſa, quæ mundo non ex æquo utilia, (cum ſemper diverſorum aliud, alio, pro uno ſcopo, convenientius,) ad eligendum propoſita. Itaque ſi minus congruum quod eſt, præponit, non ita mundo univerſo conſentaneam ſuſcepit actionem, quàm ſi ſibi contrarium habuiſſet commendatum. & inde concluditur

§. 712.

Habemus igitur honeſtatis, in omni caſu, poſſibilis, inconcuſſum fundamentum, mentis humanæ libertatem. libertas honeſti fundamentum

§. 713.

Sed ex tam longo diſcurſus, forte non inutilis, anfractu, tandem redibimus ad oratorem: quem ſi dixerimus, & juris gentium, & juris publici, &, in univerſum, honeſtatis ſocialis *cujuslibet*, notitiâ, *maxime ornari*, nihil ſane dixerimus, cujus aſſenſum ab æquo lectore nos non conſecuturos ſperamus. Oratori honeſtas hæc omnis generis cordi

§. 714.

probatur Antiquiſſimis temporibus, legatorum, quorum negotia utique juris gentium ſunt, munere; oratores functos, tritiſſimum eſt. Livius, Libr. I. cap. 15. p. 35. edit Gronov. ſequentia habet:

§. 715.

verbis Livii *Eaque clade haud minus, quam adverſa pugna ſubacti (Vejentes) pacem petitum* ORATORES ROMAM MITTUNT. Fuerunt igitur Legati oratores.

§. 716.

verſibus Virgilii Eodem pertinent verſus Virgilii Æneid. L. XI. vers. 330. ſeqq.

Præterea qui dicta ferunt, & fœdera firment
Centum oratores prima de gente latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos
Munera portantes eborisque aurique talenta.

§. 717.

teſtimonio Manutii Eandem conſuetudinem, ducentis abhinc annis, adhuc viguiſſe, atque idcirco oratores legationibus, quæ juris gentium, & ſummo loco ſemper habitæ ſunt, functos docet facundiſſimus adhibitos, Manutius in præfat; ad Cic. orat. libr. epiſtolarum ejus volumini inſerta, pag. 801. edit. Krauſe, 1720.

§. 718.

verba Manutii *Nunc oratorum nomine*, inquit, *quod eximium ſemper fuit, nibilo minor, atque haud ſcio, an etiam major, quam priſcis illis temporibus, dignitas & amplitudo eſt.*

§. 719.

continuata *Mittuntur à regibus ad reges, aut ad liberas civita-*

civitates, qui non de ſtillicidiis agant, non de jure fundi: quarum rerum controverſias, qui ſcite & copioſe diſceptarunt, ſcimus olim habitos fuiſſe eloquentes: ſed ea tractent, quæ prudenter diſputata, otium gentibus conſtituere, dignitatem imperii conſervare, terminos proferre poſſunt.

§. 720.

Hoc qui præſtant, eos ego veteribus oratoribus non comparo ſolum, ſed etiam antepono. Illi cauſſas agebant primum apud judices ſorte ductos, deinde apud eos judices, quibus de re aliena, non de ſua judicantibus perſuadere orator, ſive hoc ſive illud haud magno negotio poſſet. Nunc agitur in conſilio lectiſſimorum virorum: agitur iis de rebus, unde ad eos ipſos, qui judicant, maximum poteſt ſive emolumentum ſive damnum redundare, cum & de publica re judicent, & in publica, extra quam nihil eſt, privata cujusque contineatur. continuata

§. 721.

Sed hoc ipſo tempore etiam, quantum valeat facundia, eorum, qui publicas, coram regibus, ſeu liberarum civitatum rectoribus, cauſſas agunt, exemplo confirmatur. probatur exemplis præſentibus

§. 722.

Gallis plurimum ſemper profuit, quod nacti ſint oratores, & morum concinnitate, & verborum lenociniis, deliciisque, longe præſtantiſſimos. In omnium Germanorum recenti adhuc memoria hæret, Tallardi, ſummi Gallorum in militia præfecti, captivi apud Anglos, eloquen- Gallorum

tia ac liberalitas felix, qua ad animos, ſummorum illius gentis adminiſtrorum, negotia publica tractantium, in ſuas partes trahendos, uſus eſt. Vid. Struv. corpus hiſtor. germ. period. X. p. 4071. edit. 1730.

§. 723.

Lunigii ſcriptis

Proſtant & in hanc rem Lunigii, ſcriptorum immenſa fere copia celebrati, *orationes magnatum, variis habitæ occaſionibus*: quibus certe, vel obiter adſpectis, oratoriæ, etiam in gerundis publicis negotiis, profuturæ, dignitas, facile à quovis æquo rerum æſtimatore, cognoſcetur.

§. 724.

& ex neceſſitate polymathiæ, quæ oratori impoſita

Quod ſi ea fidem inveniunt, ut invenire debent, quæ habet dialogus de oratoribus, Quinctiliani ſcriptis ſubjunctus, in edit. Obrecht. 1698. & quidem p. 837. num. 30. ſane non ſolum honeſti ſcientia & amor cujuslibet, ſed, quod & hactenus perſecuti ſumus, omnium ſcientiarum, quantum in hominem cadere poteſt, campus, oratori ad peccurrendum, propoſitus eſt.

§. 725.

probatur verò illa

Verba, quæ huc pertinent, hujus potiſſimum argumenti ſunt: *itaque hercle in libris Ciceronis deprehendere licet*, NON GEOMETRIÆ, *non muſicæ, non grammaticæ, non denique ullius ingenuæ artis ſcientiam ei defuiſſe.*

§. 726.

continuatis verbis

Ille dialecticæ ſubtilitatem; ille moralis partis utilitatem; ille rerum motus cauſſasque cognovit.

gnovit. Ita enim eſt, optimi viri, ita ex multa eruditione, ex pluribus artibus, & omnium rerum ſcientia, exundat, & exuberat illa admirabilis eloquentia.

§. 727.

Neque oratoris vis & facultas, ſicut caterarum rerum, anguſtis & brevibus terminis clauditur: ſed is eſt orator, qui DE OMNI QUÆSTIONE PULCRE ET ORNATE, AD PERSUADENDUM APTE DICERE, *pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium poſſit.* continuatis

§. 728.

Hæc ſibi illi veteres perſuadebant, ad hæc efficienda intelligebant opus eſſe, non ut rhetorum ſcholis declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad veritatem accedentibus controverſiis, linguam modo & vocem exercerent; ſed ut his artibus pectus implerent, in quibus DE BONIS *ac* MALIS, de JUSTO & INJUSTO *diſputatur. Hæc enim oratori eſt ſubjecta ad dicendum materia.* continuatis

§. 729.

Unam artem ab oratore velim ignorari, contemni, exſecrandam judicari. *Quænam*, inquis, *illa, quæſo eſt?* Quidquid honeſtum, quidquid verum ab homine ſive amari, ſive cognoſci poteſt, cum ad ejus notitiam & amorem auditoris animus flectendus ſit, oratori intellectu eſt neceſſarium. unam artem orator ignoret

§. 730.

Artem dubitandi innuo: quâ nihil peſtilentius, artem dubitandi

tius, nulla capitalior pernicies, hominum generi unquam inferebatur. Mureti verba digna ſunt, quæ, quia huc pertinent, à me non prætereantur ſilentio, in volum. Orat. II. & quidem Orat. V. p. 287. edit. 1714.

§. 731.

teſtimonium Mureti *Nihil tam certum, tamque exploratum eſſe, quod non in dubium vocari, nihil tam abſurdum tamque perverſum, quod non eloquentiæ viribus obtineri ac perſuaderi queat: voces ſunt hominum, iſtam facultatem non calumniari, & in odium vocare, ſed ornare, & hominibus commendare cupientium.*

§. 732.

continuatum *Hoc autem quid aliud eſt, quam noctem & caliginem rebus inducere, & quaſi Circeo quodam poculo, ad eam dementiam homines adigere, ut certi ac firmi, in quo conſiſtant, nihil habeant, ſed modo huc, modo illuc, incertis opinionibus fluctibusque, vagentur?*

§. 733.

de honeſto divino Poſſem jam hinc ad alia diſcedere, niſi animo propoſuiſſem, hanc, de honeſti natura, diſputationem, conſideratione illius honeſtatis, quæ ſolius DEI eſt, finire.

§. 734.

quid ſit? Ex §. 300. benevolus lector meminerit, id, quod DEum perfectiſſimum declarat, eſſe honeſtatem Creatoris, qua ipſe unus refulgeat.

§. 735.

quomodo ſe exſerat? Tum autem DEus perfectiſſimus declaratur, quum per ineffabilia ſpecimina adparet, eum,

quoad

quoad ſapienter, i. e. ſine majoris incommodi eventu, fieri poteſt, rationalem naturam OMNEM, OMNI LOCO, OMNI TEMPORE, OMNIBUS AUGMENTIS, ut perficeret bearetque, ab æterno decreviſſe.

§. 736.

Hîc mali origo obſtare videtur tantæ exiſtimationi, quam de DEO animus concipit. Quomodo omnibus prodeſſe vult, aut ſe profuturum declarat, is, qui innumera mala permittit? dubium

§. 737.

Dudum ſoluta quæſtio, ſua me deciſione ad alia quædam, non obvia, ducet. pridem ſolutum

§. 738.

Licet malum permittere, quoties, eô impeditô, majus ingrueret, & nobis incommodaret. hôc modo breviter

§. 739.

Sed an fas eſt à perfectiſſimo malum tolerari ſemper, quod & odit revera, & eliminare poteſt? quæſtio

§. 740.

Num ſemper, & in æviterno ſpatio gravius obſtabit malum, ne præſens, quod exſiſtit, deleri, & exſtingui poſſit? continuata

§. 741.

Id quidem teſtantur, ſcripturæ oracula, quæ pœnas inferorum ſemper duraturas affirmant. reſponſio

§. 742.

At vero illa qui opponit, reſpondenti opponit: cujus, ut noſti, jus eſt, adhibendi limitationes oraculorum ex ſua hypotheſi, quam ut ipſe probet, ne exſiſtat officiorum, reſpondentis objectio

dentis & opponentis, confuſio, non magnopere obſtringitur.

§. 743.

differtur quæſtione ſolutio — Qua igitur ex hypotheſi, illa quidem oracula, quæ poenarum æternam perſeverantiam ſignificant, pervertere illi conantur?

§. 744.

objectio potiſſima — Veritas, non hypotheſis eſt, quâ hanc in rem utuntur: Deum eſſe ipſum amorem, 1. Joh. 4. v. 16. æterno, hominum quorumvis utilitatem promovendi, deſiderio æſtuantem. Peccati radicem temporariam, natam aliquando, ideoque & intermorituram.

§. 745.

reſponſio — At vero DEus amoris ſui ſpecimina nolentibus, ſeu reſiſtentibus, obtrudere non vult, nec id eum decet.

§. 746.

urgetur illa — Cur igitur ſe offert peccatoribus, vel reſiſtentibus, Rom. 10. v. 21.

§. 747.

inſiſtitur huic — Sed nullo effectu: quamdiu in ea quidem contumacia perſeverant.

§. 748.

nova objectio — Gutta tamen cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo. Cur gratia non vel tandem perrumpat obſtaculum?

§. 749.

reſponſio — An illos mitiores tempus redditurum eſſet, neſcio. Mors interim imparatos abripit.

§. 750.

objectio — Atqui, nec poſt mortem, DEus amor in OMNES eſſe deſinit.

§. 751.

§. 751.

Sententia ultima tum eſt pronuntiata irrevocabilis. reſponſio

§. 752.

Irrevocabilis ad deſtinatum peccatis tempus, ut DEus tamen amor in æternum erga OMNES maneat. objectio

§. 753.

Irrevocabilis ſane in æternum, cum ſemper peccent, ſemper culpas addant culpis. reſponſio

§. 754.

DEum, per amorem, quo fertur in omnes, ipſam peccandi in perpetuum voluntatem, ab inferis ſejungere poſſe, cogites. objectio

§. 755.

An &, quo magis amorem averſabuntur, eo magis eos perſequetur amor DEI? reſponſio

§. 756.

Faciet amor ſenſim, ut amorem non ſint averſaturi. objectio

§. 757.

Id fieri non poteſt. Habent vires mala patiendi, certam menſuram: quam ſi plagarum vis excedat, ſumma impatientia, i. e. peccati omnis mater, ſequatur neceſſe eſt. 1. Cor. 10. v. 13. reſponſio

§. 758.

Forſan plagæ menſuram patientiæ non excedent. objectio

§. 759.

Contrarium legitur Jeſai. 33. v. 14. typus reclamat, Hebr. 12. v. 20. res ipſa contradicit Apoc. 6. v. 17. reſponſio

§. 760.

§. 760.

objectio Mitigabit forte DEus pœnas, ut interim reſipiſcendi locus fiat.

§. 761.

reſponſio Itaque eo ipſo momento, ſeu temporis articulo, mitigabit, quo identidem gravius peccando, pœnæ ut non emolliantur, illi commeriti ſunt. Si DEus, quia amor ipſe eſt, reſipiſcentiam, ſine qua nulla liberationis ſpes, ingenerabit contumaciſſimis inferis: cur eam non inſtillat improbis in hac vita adhuc tractabilioribus? Nam & his amor eſt. Turpius ejicitur quam non admittitur hoſpes (demnatio.)

§. 762.

cur DEus prodeſſe omnibus ſemper non poſſit? Omnibus dubiorum exhauſtis fontibus, intelligis tandem, quod DEus quidem amor ſit, ſed ſapiens, qui, uti in hac vita ſuo amori obluctantem amare non poteſt: ſic nec in altera.

§. 763.

probatur determinatius Fac, amare DEum ſuo amori nullâ viâ audientem: ad finem igitur amandi contendet, ſine via audientiæ, quæ ab amato præeunda eſt.

§. 764.

ab abſurdo Ad finem vero niti, ſine via, eſt deſipere. Non ergo amor ſapiens eſt, qui fertur in non audientes dicto. Loquor de amore, gratiam applicante, non deſtinante, qui & inſciis, nedum inobedientibus, deſtinavit Servatorem.

§. 765.

quonam? Uti parum ſapit, qui in humiles ſuperbit; ſic nec prudentior princeps, qui in ſuperbos mitis eſt.

§. 766.

§. 766.

Hinc Appius Claudius, apud Dionyſ. Halicarnaſſ. Libr. VI. p. 391. edit Sylburg. num. 2. ſeq. εἰδότας, inquit, ὅτι πᾶν τὸ ἀνόητον ἄλλως τε κἂν ὄχλος ᾖ πρὸς μὲν τοὺς ταπεινοὺς αὐθάδεις γενέσθαι φιλεῖ, πρὸς δὲ τοὺς αὐθάδεις ταπεινοῦσθαι. illuſtratur teſtimonio

§. 767.

Quando ſcitis, omnes ſtultos, præſertim vulgus, in humiles ſuperbire, erga ſuperbos ſe demiſſe gerere. latino

§. 768.

Hoc igitur honeſtum, quod DEus ſequitur perpetuo, qui omnibus factis ſe nobis perfectiſſimum probare, ut eſt, ita vult: cuique non ſolum oratori, ſed & homini; non ſolum homini, ſed & naturæ rationali cuilibet, omni tempore, omni loco, in omni negotio, propoſitum eſſe debet: refertur quippe totum AD GLORIAM DEI. gloria DEI & oratori ſit propoſita

§. 769.

Hactenus perſecuti ſumus HONESTATIS, quæ oratori commendata eſſe debet, FUNDAMENTUM: quod ponitur in publica naturæ rationalis cujuslibet utilitate, ſecundum omnes & partes, & ſtatus, quibus ipſa continetur: tranſitus à fundamento honeſtatis

§. 770.

Jam vero nos ordo ducit ad contemplandum HONESTATIS ORNAMENTUM, quod in externis potiſſimum collocatur quibusdam actionibus atque DECORI quidem nomen pridem commeruit. ad ornamentum ejus

§. 771.

DECORUM EST, QUOCUNQUE STU- quid ſit decorum?

STUDIUM ALIIS PLACENDI SIGNIFICATUR.

§. 772.

latius patet honeſtô — Omnis quidem honeſtas placere omnibus debet, placetque revera nonnullis: ſed non omne quidquid placet, aliisque probatur, aut eos conciliat, honeſtum eſt.

§. 773.

virtus decora non ſola. — Decora igitur eſt virtus omnis: ſed non omne decorum virtutis præſtantia elucet.

§. 774.

rejicitur Ciceronis ſententia — Non facimus ob eam cauſſam cum Tullio, qui de offic. L. I. cap. 27. §. 3. 4. ita ſentit: *decori vis ea eſt, ut ab honeſto non queat ſeparari. Nam &, quod decet, honeſtum eſt, &, quod honeſtum eſt, decet.*

§. 775.

ſimili licet illuſtrata — Idem citato capite, §. 13. hoc utitur ſimili: *ut venuſtas & pulcritudo corporis, ſecerni non poteſt à valetudine: ſic hoc, de quo loquimur, decorum, totum illud quidem cum virtute eſt confuſum, ſed mente & cogitatione diſtinguitur.*

§. 776.

nec enim ipſum ſimile, quo utitur, ubique verum — Si tamen vera ſunt, quæ de Alexandro M. Curtius L. X. cap. 10. p. 12. memoriæ prodidit: *ut tandem curare corpus exanimum amicis vacavit; nulla tabe, ne minimo quidem livore corruptum, videre, qui intraverant. Vigor quoque, qui conſtat ex ſpiritu* NON DESTITUERAT VULTUM:

§. 777.

nihil igi- — Sane intelligitur, venuſtatem corporis à valetudine

tudine ſecerni poſſe, ideoque, ſi res hoc Ciceronis ſimili judicanda ſit, ſeparatam quandoque ab honeſto decorum exſiſtere poſſe. tur probat, aut illuſtrat

§. 778.

Non equidem refragabor illis, qui Alexandri cadaver ita incorruptum manſiſſe negant, fabulamque ſparſam affirmant, ad eximendam plebi opinionem, de allato Regi veneno: Alexandri cadaver an pulcrum manſerit?

§. 779.

Interim Plutarchus, in Sympoſ. L. I. quæſt. 6. p. 623. T. II. edit. Xyl. ſcribit: λέγεται δὲ καὶ τοῦ χρωτὸς ἥδιστον ἀποπνεῖν, ὥστε καταπιμπλάναι τοὺς χιτωνίσκους εὐωδίας ἀρωματιζούσης, Plutarchi verba

§. 780.

Dicitur corpus (Alexandri M.) *ſuaviſſime oluiſſe, ita ut tunicula fragrantia replerentur aromatum odorem æmulante:* ut itaque, quæ de corpore ejus exanimato traduntur, ſaltim non adeo abſurda videri poſſent. latina

§. 781.

Utut autem hoc eſt: etiam hominum non optime valentium vultus venuſtiſſimi nonnunquam ſunt, & amœno ſuffuſi rubore: ſimiliterque decori ſplendor externus, animum turpitudine morbidum, rem obiter intuentibus, ſæpe numero commendat. reſponſio ad Ciceronis dubium

§. 782.

Sunt, qui morum externa concinnitate mirifice aliis placeant, etſi non magnopere ſint honeſtatis genuinæ ſtudioſi: & viciſſim honeſtiſſimos videas, quorum tamen mores ſtivam redolent, nec admodum inire gratiam poſſunt. honeſtas non ſemper extrinſecus decora, & viciſſim,

N Exem-

Exemplo ſint, qui pietatem colunt, homines ordinis infimi.

§. 783.

Decori gradus extremi duo

Quando honeſtas placet huic aut illi, ut placere ſemper debet: **decorum primi ordinis** exſiſtit, cum virtute, ut Cicero loquitur, confuſum. Quoties autem id, quod honeſtati derogat, blandam mentitur ſpeciem, ac, placere ut poſſit, conſequitur: **decorum illicitum**, ideoque infimi, aut **nullius ordinis**, glaucoma objecit.

§. 784.

gradus medius

Quum autem innumera ſunt, quæ per ſe naturæ rationali nec obeſſe, nec prodeſſe poſſunt, ideoque honeſtatis naturam aut turpitudinis nullo adhuc pacto habent: *ut honoris ſignificationem, nudato capite, edere, in toga; cum ex adverſo in ſago miles ex acie ſalutationem præ ſe monſtratis armis faciat:* conſequens eſt, ut, qui hujus generis actiones ita componit, quò aliis placeant, decori, prout medii generis eſt, ſtudioſus exſiſtat.

§. 785.

ultima actionum determinatio omni modo à ſingulis demum oritur

Sæpe dixi, & maxime §. 693. quædam eſſe ex ſe honeſta, alia autem determinari per individuas demum hominum conditiones. Id etiam huc pertinere intelligitur.

§. 786.

inde decorum medii gradûs

Decorum medii generis, de quo dixi §. 784. ejusmodi eſt, ut pro individuorum, ſeu, quod idem ſonat, ſingulorum vel hominum, vel populorum natura, varie determinari poſſit, ſalva

ſemper,

ſemper, in quamcunque partem definitum ſit, honeſtate ipſa, *quæ tantum præcipit, quidquid præcipit*, quia publicè utile eſt, non quia tantùm populo, *in quo vivitur*, placet.

§. 787.

quod ſub hoc reſpectu definitur, vid. etiam §. 800.

Quidquid igitur ex ſeipſo publicè nec damnoſum, nec utile, plerisque tamen placet, id decorum eſt; quod ab honeſtate ſeorſum exſiſtit. Plura ejus generis dari, experientia loquitur.

§. 788.

fundamenta claſſium ejus

Atqui placere plerisque, inter quos vivitur, non poteſt, quod illis, ſive propriæ naturalis infirmitatis ſenſum affert, ſive nauſeam creat, ſive ſui tacitum contemtum ſignificat, i. e. animum, *de que dira ton?* minime ſolicitum, prodit: ejusmodi igitur actiones à decoro diſcedunt.

§. 789.

Exſiſtunt complures populi, quibus horrorem incutit, *naturæ infirmitates non tegere, ejusdem neceſſitati parere in publico, in ſemitis, in viis, inſpectante aliorum turba*: qui igitur talia committunt, populis iſtis displicere, ideoque decorum illius gentis negligere, neceſſe eſt.

§. 790.

Cynici in prima claſſe eorum qui indecori

Cynicorum ille mos fuiſſe dicitur. Hinc Plutarchus de repugnantiis Stoicorum T. II. edit. Xyl. p. 1044. litt. β. Διογένην τὸ αἰδοῖον ἀποτριβόμενον ἐν φανερῷ narrat, quod ut vertam, opus non eſt.

§. 791

non omnes tamen

De omnibus tamen illius ſectæ diſcipulis id

 affirmare

affirmare non auſim. Zeno ipſe, qui familiam ducit, alia mente affectus fuiſſe dicitur: de quo Diogenes Läertius, Libr. VII. p. 239. edit. Henr. Steph. 1570. teſtatur: αἰδήμων δὲ ὡς πρὸς τὴν Κυνικὴν ἀναισχυντίαν verecundior erat, quàm ut ſe ad impudentiam Cynicam conferre poſſet.

§. 792.

quæ præterea actiones pertineant ad hanc claſſem? Huc pertinent omnes illæ actiones, quas publice fieri, naturalis pudor prohibet. Ineſt enim in plerisque populis inſtinctus, naturâ inditus, cavendi, ne ea agant, quæ infirmitatum naturalium quandam ſignificationem apertam, ideoque contemtum, pariant.

§. 793.

altera decori claſſis, quâ cavetur nauſea. Neque vero etiam illi plerisque hominibus, inter quos vitam degunt, placebunt unquam, qui ea deſignant, quæ aliis creare nauſeam ſolent. Placere enim nequit, quem non faſtidire non potes.

§. 794.

exemplum Omnis igitur ſordities, in cibo, potuque, in ratione veſtitus, in oratione & ſermone quotidiano, in reliquis actionibus, quæ à vultu, oculis, fronte, manibus, pedibusque &c proficiſcuntur, indecora eſt.

§. 795.

ratio decori in hac claſſe Quæcunque harum actionum non ad judicium populi, quem penes vita nobis degenda eſt, conformantur; & quidem non ad populi tantum univerſi mores, ſed & ad illius in ipſo ordinis homines, cui nos adſcribimur: illæ profecto parum decoræ habentur.

§. 796.

§. 796.

Uti vero hæc omnia aliis diſplicent, ſic & actiones ſuſcipi videas complures, quæ non ſolum non diſplicent, ſed maxime potius commendantur illis, inter quos vivimus. Has igitur decoras haberi convenit. tertia decori claſſis

§. 797.

Si tui ordinis homines præſtantiſſimos, ſive prudentiores habitos, ſive, cum id ſæpe ambiguum ſit, opulentiores, & in majori verſatos celebritate, imiteris, vultu, motu, voce, ſtatu, oratione, ſupellectile, veſtitu, converſatione, reliquis; quantum primo honeſtatis, tum vero donorum & naturæ, & fortunæ ratio permittit: decorum ſane feliciter es aſſecutus. exemplis declaratur.

§. 798.

Quî enim diſplicere poterit, quem, imitandis tuis actionibus, quanti te, tuique ſimiles faciat, ipſo obſequio ſignificantem, intelligas? ratio hujus complacentiæ ut ita loquar.

§. 799.

Quisquis ſalvô honeſtatis primò, deinde vero etiam, donorum naturæ, & fortunæ modulo, præſtat, aut præſtare poteſt, quæ Terentius in Andr. Act. I. ſcen. 1. vers. 35-40. habet, eum ego decori non expertem eſſe judicaverim. Comici verbis illuſtrata

Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cunque unà, his ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudiis adverſus nemini
Nunquam præponens ſe aliis, ita facillime
Sine invidia invenias laudem, & animos pares

Sapienter vitam inſtituit namque hoc tempore
Obſequium amicos veritas odium pa-
rit.

§. 800.

accuratior decori definitio, vid. §. 787.

Hoc igitur placendi ſtudium, hoc decorum, maxime in actionum noſtrarum, ad aliorum, noſtri ordinis præſtantiſſimorum, mores, conformatione, poſitum eſt.

§. 801.

explicantur definitionis verba, eorumque ratio.

Dixi: in aliorum noſtri ordinis imitatione. Stultum quippe & odioſum eſt: v. g. ſi principem nobiles, ſi nobilem, ignobiles, ſi politicum eccleſiæ Miniſter, externis illis decori actionibus æmuletur.

§. 802.

ratio aliorum in definitione

Addidi: *eſſe illud decorum quandam* actionum *conformationem*, *placendi conſilio factam*. Hæc enim decori ſpecies, ab altera, quæ verbis placere ſtudet, vulgo *complimens*, nonnihil diſtingui poteſt. Erit autem de his mox dicendi locus.

§. 803.

ratio reliquorum

Adjeci etiam: *actiones oportere eſſe ad placendum compoſitas*, i. e. totidem ſignificationes, *quanti faciamus alios*, *præſertim ubi per honeſtatis regulas id fieri non impie poteſt.* Nam illæ externæ actiones animi, placere cupientis, ſignificationes ſunt, quæ aliorum in memoriam revocare debent, quanto eos ſtudio proſequamur.

§. 804.

§. 804.

Qua ex norma ſane, tota de cerimoniis omnibus tum ſacris, tum profanis, ſcientia judicari poteſt & debet. Quicunque enim ritus, quæcunque actio externa, ſive mihi, ſive aliis recordandi eorum occaſionem præbet, quorum nunc recordari maxime intereſt, ille ritus rationi conſentaneus eſt. unde decori ceremoniæ, & omnes in univerſum judicandæ?

§. 805.

Debeo hoc verbis Wolffii in moral. §. 177. *Und hieraus enkennet man, wie man von ceremonien zu urtheilen hat, ob ſie vernünfftig ſeynd oder nicht. Wir müſſen nehmlich unterſuchen, was ſie vor eine Bedeutung haben uns etwas in das Gedächtnus zu bringen, und ob durch dieſe Bedeutung uns etwas in das Gedächtnus gebracht wird, daran wir zur Zeit gedencken ſollen, ſonſt aber nicht ſo leicht darauff kommen könnten. Wann ſich dieſes ſo befindet, ſo iſt die Ceremonie vernünfftig.* teſtimonium viri docti.

§. 806.

De ſcientia ceremoniarum, maxime in aulis ſummorum Principum in Germania, ſolennium, edidit librum lectu digniſſimum, *Einleitung zur ceremonial Wiſſenſchafft groſſer. Herrn. Julius Bernhard von Rohr*, 1729. *in quo* decorum aulicum *pluribus exponitur.* ceremoniel *Wiſſenſchafft v. Rohr*

§. 807.

Sed non minima decori pars in verbis ſita eſt: quæ cum ſint honoris, exiſtimationisque, quâ alios proſequimur, ſignificationes: idcirco quoque hic merentur locum. decori pars in verbis

§. 808.

jam male audit jam bene. Hæc pro diverſo animi, iis uſi, affectu, jam male jam bene audiunt. Male cur non audiant, ſi mellitis in ore verbis, cordis occulta amaritudo, quod ſapere deberet, auferat?

§. 809.

eo perperam uſus Polydamas Exemplum deteſtabile edidit Polydamas in Parmenionem, Libr. VII. cap. 2. §. 24. 27. Curt. *procul veniens Polydamas, ut à Parmenione conſpectus, vultu lætitiæ ſpeciem præferente, ad complectendum eum cucurrit, mutuaque gratulatione* (complimens) *functi, Polydamas epiſtolam à Rege ſcriptam ei tradidit.*

§. 810.

necato Parmenione. Sed quò hæc honoris ſignificatio ſpectaverit, quo conſilio fuerit ſuſcepta, ſequentia docent; *alteram deinde epiſtolam, Philotæ nomine ſcriptam lætus, quod ex vultu notari poterat, legebat. Tum ejus latus gladio haurit Cleander.*

§. 811.

& Cicero illi diffiſus Cicero Epiſt. 1. ad Attic. L. I. edit. Schrev. p. 813. col: a *fucum & fallacias* ejusmodi verba adpellat, ob eandem nimirum, oris cordisque diſſentientis cauſſam: quæ jam tum Romanos corruperat. Hinc addit, *Galbam more majorum, ſine fuco egiſſe.*

§. 812.

Senecæ verba *Et Seneca, ego vero,* inquit, *ſapientem non imaginario honore verborum exornare conſtitui: Ich will ihn nicht mit bloſſem Wortgepräng ehren;* ut haud dubio argumento intelligas, quantopere diſſentientem à verbis animum deteſtatus fuerit. §. 813.

§. 813.

Contra aliis non ingratam fuiſſe ejusmodi verborum pompam, Auguſti docet indoles, de qua Suetonius capit.66. p.78. edit.Boxhorn. *amicorum tamen ſuprema judicia moroſiſſime penſitavit : neque dolore diſſimulato, ſi parcius,* AUT CITRA HONOREM VERBORUM; *neque gaudio, ſi grate pieque quis ſe proſecutus fuiſſet.* Auguſto contrà placuit.

§. 814.

Neque tamen hoc decori genere, etiamſi ſint, qui eo ad reliquos fallendos utantur, plane carendum eſt. Titulorum, quibus varias dignitates diſtingui fas eſt, verborum, quibus oratori captanda in ſermone benevolentia, & colloquii in univerſum omnis, quô aliorum ineunda gratia eſt, neceſſitatem, utilitatemque, ſi quis eſt, qui averſetur nimium, ille ſe nec in Platonis πολιτεία, nec in Quakerorum, quos vocant, confuſa turba, agere vitam, haud gravate meminerit. an prorſus eliminandum?

§. 815.

Ut ſine corpore anima non exſiſtit, ſic nec ſine externarum actionum decoro honeſtas. Animam quidem ſi tollas, cadaver non corpus vivum relinquitur : licet magnatum defunctorum corpora ſplendido ornatu civibus ſpectanda exponantur : quod quidem ſpectaculum cum decoro ab honeſtate ſejuncto comparari poteſt. decori neceſſitas illuſtrata

§. 816.

At vero, ſi corpus etiam ab anima auferas : quid quæ ſoin oculos incurrit tuos, quod ſen- continuatur

ſus afficiat? Sane vis animæ, non conſpicua oculis, uti percellere ſenſus non poteſt tuos; (percellere autem ſenſus debet tuos, quidquid ab externis productum rebus menti objicitur) ita & virtutis præſtantia non cognoſcitur, niſi externis quibusdam ſignificationibus, quas utique ſatius eſt, cæteris paribus, conformari aliorum judicio, quàm, neſcio cujus moroſitatis inſtinctu, hominem ſibi ſoli ſapientem, exponi ludibrio.

§. 817.

Cura decori an ad oratorem pertineat? Oratoris num & ſit, decori gerere curam? nunc paucis videndum. Si datur quædam corporis eloquentia, actionis oratoriæ concinnitas, omniumque corporis motuum, ad placendum attemperata, conformatio; cujus, quam neceſſaria ratio ſit, ſingulari opuſculo condocefeci: neceſſe profecto eſt, decori oratorem longe ſtudioſiſſimum eſſe.

§. 818.

probatur affirmans Actio enim oratoria, quid aliud eſt, quam decorum eloquentiæ? Quid aliud ſignificat, quam geſtuum verba facientis ad placendum factam compoſitionem?

§. 819.

alio argumentô Quisquis eruditus, ideoque & quicunque orator decori nullam curam gerit, eum pedantiſmi, ut vulgo vocant, macula contaminari, certum eſt.

§. 820.

de pedantiſmo Inſtituti non eſt mei, quæ de pedantiſmo dici poſſent huic loco inſerere: adeantur illi auctores,

ſtores, quos magnific. Dn. D. Pfaffius Hiſt. litt. T. I. p. 5. not. (a) turmatim prodire juſſit.

§. 821.

Id agimus, ut ſuppeditata pedantiſmi notione diſtincta ac brevi, quæ alii prolixiſſime ſcripſerunt, ea & uno conſpectu repræſentata, & multo pluribus rebus, illuſtrandi ergo, aucta, objiciamus menti. ejus notio brevis

§. 822.

Omne eruditi hominis vitium, generali ſignificatu, pedantiſmi voce notari poteſt. pedantiſmus quid generatim?

§. 823.

Sed cum tamen tria maxime hominum eruditorum vitia alios offendant, & omnium maxime diſpliceant, quia decorum in placendi ſtudio verſatur: illa tria vehementer quoque indecora, & pedantiſmum redolentia, eſſe oportet. tria illius vitia

§. 824.

Primum vitium pedantiſmi intellectus potiſſimum functiones odioſas reddit: alterum voluntatis pervicaciam arguit: extremum denique externo habitu offendit. quæ illa?

§. 825.

A pædagogis appellationis ratio profecta eſt: quorum mens, ſeu intelligendi facultas, ex officio, eodemque laudabili, in minutioribus extricandis verſatur: quorum animus, ſeu volendi facultas auctoritatem cui pueros refragari nefas eſt, jure ſibi vendicat: ac denique, qui ob fortunarum tenuitatem, & ſtipendii parvitatem, (cum tamen reipublicæ intereſſet, eos & lautiſſime & honorificentiſſime ideo haberi, ut optima quæ ratio adpellationis? quia hos æmulantur docti

optima quæque ingenia ad id muneris, profecto tam gravis, adſpirarent) ſæpe vix habeant, quod ad amictum non ſordidiſſimum parandum facit.

§. 826.

non omnia omnibus conveniunt

Quoniam vero diverſas actiones diverſi ordines depoſcunt, nec idem omnibus in tanta officiorum varietate convenit: nulla ratio eſt, quamobrem eruditi cæteri illos pædagogos imitentur.

§. 827.

probatur teſtimonio

Non prætereundum eſt, quod ſcite Terentius in Adelph. Act. V. ſcen. 3. vers. 35-39.

- - - - Multa in homine Demea,
Signa inſunt, ex quibus conjectura facile ſit
Duo cum idem faciunt, ſæpe ut poſſis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod diſſimilis res ſit, ſed quod is qui facit.

§. 828.

eruditi aliena adſciſcunt: inde pedantiſmus.

Sed, quæ hominum quorumlibet pravitas eſt, altiori, nec niſi per ſacras tabulas cognitæ, origini debita: fit ſane, ut & ea in doctorum hominum grege graſſetur.

§. 829.

Lucianus deſcribit pedantem.

Omnia quippe pedantiſmi vitia, Lucianus jam ſuo tempore prudentioribus incommodantia, lepide depinxit. Digna ſunt verba in dialog. mort. Tom. I. p. 280. edit. Amſt. 1687. quæ hoc loco pleniora recenſeam:

§. 830.

verba expreſſa

Ὁ δὲ σεμνὸς οὗτος ἀπό γε τοῦ σχήματος καὶ βρενθυόμενος, ὁ τὰς ὀφρῦς ἐπηρκώς, ὁ ἐπὶ τῶν φροντίδων; τίς ἐστιν; ὁ βαθὺν πώγωνα καθειμένος, Με.

§. 831.

§. 831.

Φιλόσοφός τις ὦ ἑρμῆ, μᾶλλον δὲ γόης, καὶ τερατείας μεςὸς, ὥςε ἀπόδυσον καὶ τῦτον. ὄψει γὰρ πολλὰ καὶ γελοῖα ὑπὸ τῷ ἱματίω κρυπτόμενα. verba Luciani de pedanta.

§. 832.

Κατάθυ σὺ τὸ σχῆμα πρῶτον, εἶτα καὶ ταῦτα πάντα. Ω Ζεῦ, ὅσην μὲν τὴν ἀλαζονείαν κομίζει, ὅσην δὲ ἀμαθίαν, καὶ ἔριν, καὶ κενοδοξίαν, καὶ ἐρωτήσεις ἀπόρυς, καὶ λόγυς ἀκανθώδεις, καὶ ἐννοίας πολυπλόκυς, ἀλλὰ καὶ ματαιοπονίαν μάλα πολλήν. verba Luciani de pedanta.

§. 833.

Verum quis ille eſt, ipſo habitu gravitatem quandam præ ſe ferens (hæc tertii vitii ſoboles) *elatus, contractis ſuperciliis, meditabundus, promiſſa barba?* ejusdem ordinis nævi, ad habitum ſpectantes. latina cum notulis

§. 834.

Philoſophus aliquis, Mercuri! imo præſtigiator & prodigiorum plenus (primi vitii in pedanta proles;) *Itaque hunc exue, videbis enim multa, eaque ridicula ſub pallio abſcondita.* latina cum notulis

§. 835.

Hunc tu habitum depone primum: deinde hæc quoque omnia. O Jupiter! quantam ille arrogantiam, quantam inſcitiam, quantum contentionum, inanis gloriæ, (ſecundi vitii infauſtos pullos vides) *quæſtionum dubiarum, ſpinoſarum diſputationum, & cogitationum perplexarum circumfert?* (primi iterum nævi venenata ova) *imò quam multos vanos labores?* latina cum notulis

§. 836.

§. 836.

vitia indecori in pedanta ſpeciatim.

Percurramus mente, majoris deteſtationi ergo, ſingula vitia. Primum in quadam intellectus corruptione collocavimus. Ne quis autem miretur, eruditos, qui intelligendi facultatatem excolunt, eandem tamen ſæpius depravare: animum, ſi volupe eſt, advertat ad verba excellent: Dn. Profeſſoris Bülffingeri Dilucid. §. 287. p. 272.

§. 837.

verba Dn. Bülffing.

Alterum, quod hîc monere conſtitui, hoc eſt. poſſe & ſolere intellectum cultura ſtudiorum corrumpi. Plurimi caſus ſunt, accipe aliquos:

§. 838.

continuata

Qui omnem ætatem linguis addiſcendis, aut condendis carminibus, aut legendis veterum declamationibus tranſigunt: illi facultatem diſtincte res concipiendi ſucceſſive imminuunt. Priores quidem aſſueſcunt emphaſibus vocabulorum: poſteriores ex ſimilitudine per phantaſiam repræſentata judicare ſolent.

§. 839.

continuata

Qui infinitam rerum multitudinem legunt, audiunt, ſcribunt, & ſibi perſuadent, ſe tenere illa, cum forte animo idea obverſatur, utcunque clara, vel plane obſcura: an illi magno labore ſe impediunt, quo minus nunc diſtincte res illas percipiant, & olim poſſint alias percipere?

§. 840.

continuantur

Qui in rebus practicis nonniſi cum perpetuo affectu diſcendum eſſe arbitrantur; adeoque id,

quod

quod in-ſe optimum & laudatiſſimum eſt, ſibi in periculum convertunt.

§. 841.

Non igitur à ratione & experientia alienum eſt, corrumpi intellectum, eo ipſo labore, quo ipſum excolere nonnulli ſtudent. conſectarium

§. 842.

Sed cum illa corruptio inde naſcatur, quia eruditi ſæpiuscule, & vel imprudentes quidem, a ſtudiorum ratione utuntur, quæ in pædagogis laudanda, in ipſis autem vituperanda eſt: ut ex §. 825. cognoſcitur: non alienum erit, quid à Præceptoribus olim Romani requiſiverint, paucis exponere. illa corruptio æmulationem ſtudii pædagogorum matrem habet.

§. 843.

Equidem puto, pædagogi officium, prout Romæ olim cognitum fuit, non inepte à Juvenali deſcribi, Satyr. VII. vers. 229 - 235. qui tamen in eo durius fuiſſe habitos innuit, quoniam in rebus minutiſſimis ſummam ab eis Romani exegerint notitiam, diligentiamque. quod igitur officium pædagogi Romæ?

§. 844.

Verſus ipſi, lectu non ingrati, hi ſunt: declaratur verſibus Juvenalis

- - - - Sed vos ſævas imponite leges
Ut præceptori verborum regula conſtet
Ut legat hiſtorias, auctores noverit omnes,
tanquam ungues, digitosque ſuos, ut forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen, patriamque novercæ
Archemori: dicat quot Aceſtes vixerit annos

§. 845.

§. 845.

inde patet, quid pedantiſmus ratione primi vitii.

Nempe in rebus parvi, aut momenti nullius, eſſe ſolicitum, ex quo genere eſt; *quæ ſit Anchiſæ noverca? quæ patria Archemori? quot annos vixerit Aceſtes?* indagare: ſeu nimiam in omnibus rebus criſin adhibere, rerum pondera ipſarum interim dimittere: id quidem, ſi ab alio, quam cui ea demandatur provincia, moroſius inveſtigatur, nullo pacto à pedantiſmi culpa liberari poteſt.

§. 846.

alia primi vitii ſoboles

Item nimia extricandorum ſophiſmatum cura, ſcholaſticis olim crebro tractata uſu, ejusdem criminis rea eſt: in quam ſane graviter invehitur Seneca Epiſt. 48. p. 163. edit. 1672. cum integris Lipſii Gronovii &c commentar:

§. 147.

verbis Senecæ demonſtrata

Pudet me, in re tam ſeria ſenes ludimus. Mus ſyllaba eſt: mus autem caſeum rodit: ſyllaba ergo caſeum rodit. Puta nunc me iſtud non poſſe ſolvere: quod mihi ex iſta ſententia periculum imminet? quod incommodum?

§. 848.

continuatio.

Sine dubio verendum eſt, ne quando in muſcipula ſyllabas capiam, aut ne quando, ſi negligentior fuero, caſeum liber comedat. Niſi forte acutior eſt illa collectio: Mus ſyllaba eſt: ſyllaba autem caſeum non rodit: mus ergo caſeum non rodit: ô pueriles ineptias! in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus? hoc eſt, quod triſtes docemus & pallidi?

§. 849.

Non ſolum vero pedantiſmi ignominiam ſubeunt, criticæ, quæ juſto exilior eſt, moroſi labores, logices vulpinæ argutiæ: ſed & graviſſimis litibus adſperſæ logomachiæ, & exinde natæ αἱρετικοποιήσεις; vocabulorum in alienos ſenſus detorquendi ſtudia; cavillationes methodi ab antiqua parumper recedentis; illique hominum conatus, qui interpretibus, nimio partium ſtudio deditis, utuntur, SIVE ODIO, SIVE AMORE: ut enim illud qui conſulit, omnia objurgat; ſic hunc quidem qui ſequitur, graviſſimos negligit errores. *alia pedantiſmi vitia primæ claſſis*

§. 850.

Breviter expediam plura: **vitæ non ſcholæ diſcendum eſt.** Ut cujusque labores aliorum vitæ hominum maxime accommodati ſunt: ita idem, ſi eruditus eſt, maxime à pedantiſmi vitio receſſit. *regula*

§. 851.

Alterum pedantiſmi vitium, in quod quam prona exſiſtat hominis natura, dici vix poteſt, maxime ponitur in faſtu quodam inepto, qui adverſantes ſibi ſententias, more pædagogorum, in refragantes pueros acriter, & merito invectorum, iniquiſſimo ferre animo ſolet. *altera pedantiſmi claſſis*

§. 852.

Philavtiâ pravâ, ut primum à DEO protoplaſtus deſcivit, occupata omnium natura eſt hominum, merito docere ut potuerit Plutarchus, ſeu potius apud eum Galaxidorus, T. II. edit. Xyl. p. 574. litt. E. *fundamentum hujus vitii late patet*

O §. 853.

§. 853.

teſtimonium

Ὦ ἡράκλης ὡς ἔργον ἐστὶν εὑρεῖν ἄνδρα καθαρεύοντα τύφου, καὶ δεισιδαιμονίας, Dii boni, quam difficile eſt hominem invenire, faſtûs vacuum & ſuperſtitionis!

§. 854.

effectus

Inde perpetua, etiam in orbe erudito, principatûs ſtudia: inde homines adverſantis ſententiæ impatientiſſimi: inde nihil jucũdius, quam allegari frequenter: inde ratio docendi Pythagorica, quæ *αὐτὸς ἔφα* fundamenti loco ſubſternit: inde papiſmus, cui refragari ſummum ſcelus eſt. Et quis omnia pravæ philavtiæ in eruditis mala recenſeat?

§. 855.

alius alio deterior

Sed tamen alius alio, non quidem melior, ſed pejor eſt. Et quemadmodum ille demum ſapit, qui ſe ſtultum eſſe intelligit; 1. Cor. 3. v. 18. ita illum minime ſuperbum judices, qui ſe ſuperbum eſſe ſentit, *non maxime dicit.*

§. 856.

exemplum Diogenis

Placuit mihi ſemper Platonis reſponſum, quod Diogeni tulit, faſtum, forte non immerito, exprobranti: vid Diog. Laërt. Libr. VI. p. 208. edit. Heinr. Steph. 1570.

§. 857.

ex Laertio citatum

φασὶν τὸν Διογένην εἰπεῖν πατῶ τὸν πλάτωνος τύφον. τὸν δὲ φάναι ἑτέρῳ γε τύφῳ. Diogenem dixiſſe ajunt: calco Platonis faſtum: at hunc regeſſiſſe: ſed faſtu alio. Superbior nempe fuit,

fuit, qui aliis faſtum exprobrando non ſenſit ſuum.

§. 858.

Eſt & alia pedantiſmi ratio huic adſcribenda claſſi. Quum ambitionis oeſtro perciti alii alios diſputando tentant, ut ſe illis majores litteris, & potentiores eſſe, commonſtrent. Cujus rei exemplum præbent Pythagoræi, de quibus Diog. Laërtius, p. 321. edit. citat;

ſecunda pedantiſmi claſſis aliud indecorum parit,

§. 859.

Ἔθος ἐςὶν αὐτοῖς ἄντινα ἰδιώτην πόθεν λάβωσι εἰσελθόντα διαπειρώμενον τῆς τῶν λογων ῥώμης ταράττειν καὶ κυκᾷν τοῖς ἀντιθέτοις τοῖς πέρασι, τοῖς παρισώμασι τοῖς ἀποπλάνοις τοῖς μεγέθεσιν ἐ βυςικῶς.

exemplo illuſtratum

§. 860.

Eis conſuetudo eſt, ſi quem ſimplicem undecunque nacti fuerint, ingreſſum, experimentum facturum, quantum illi dicendi viribus præſtent, perturbare illum, objectionibusque verſare, concluſionibus, inæqualitatibus, fallaciis, magnitudinibus, non inde emergere.

latine reddito

§. 861.

Tertia denique pedantiſmi claſſis varia ridiculæ ſorditiei genera, in geſtu, veſtitu, oratione, vultu, nutu, inceſſu & reliquis complectitur.

Tertia pedantiſmi claſſis

§. 862.

Animum hic ſubit tota fere Cynicorum ſecta, quorum inepti mores paſſim ab hiſtoricis perſtringuntur. Diogenes Laërtius de Mene-

exemplum

demo, pag. 235. Libr. VI. edit. citat. ſequentia poſteritati mandavit:

§. 863.

Menedemi — Μενέδημος εἰς τοῦτον τερατείας ἤλασεν ὥστε ἐριννῦς ἀναλαβὼν σχῆμα περιῄει, λέγων ἐπίσκοπος ἀφῖχθαι ἐξ ᾅδου τῶν ἁμαρτανομένων &c.

§. 864.

latine redditum — *Menedemus in tantum prodigioſæ ſuperſtitionis venerat faſtigium, ut ſumto habitu furiæ circumiret, dicens ſpeculatorem ſe ex inferno veniſſe, iis qui peccarent.*

§. 865.

orator pedantiſmum fugiat. — Fugiat igitur, quantum in hominem cadere poteſt, ejuſmodi vitia orator, ne, quos verbis perſuadendos in ſuas pertrahere partes, inſtituit, iidem morum externorum ſorditie offenſi in alia omnia abeant.

§. 866.

Antonini pii verba. — Claudam hæc verbis Antonini pii in libri ad ſe ipſum, L. I. num. X. p. 3. edit. Gatak παρὰ Ἀλεξάνδρου τοῦ γραμματικοῦ τὸ ἀνεπίπληκτον καὶ τὸ μὴ ὀνειδιστικῶς ἐπιλαμβάνεσθαι τῶν βάρβαρον, ἢ σολοικόν τι, ἢ ἀπηχὲς προενεγκαμένων ἀλλ᾽ ἐπιδεξίως αὐτὸ μόνον ἐκεῖνο, ὃ ἔδει εἰρῆσθαι προφέρεσθαι ἐν τρόπῳ ἀποκρίσεως, ἢ συνεπιμαρτυρήσεως, ἢ συνδιαλήψεως περὶ αὐτοῦ τοῦ πράγματος, οὐχὶ περὶ τοῦ ῥήματος ἢ δι᾽ ἑτέρας τινὸς τοιαύτης ἐμμελοῦς παρυπομνήσεως.

§. 867.

latina — *Ab Alexandro grammatico* (didici) *increpationibus abſtinere; nec probroſe excipere, ſi quis barbarum quid, vel ſoloecum, vel abſo*

nun

num protulerit, ſed illud tantum, quod dici debuerat, dextre proponere, idque ſubſpecie vel reſpondendi, vel calculum dictis contribuendi, vel de re ipſa non autem de dictione unà diſpiciendi, vel per aliam aliquam iſtiusmodi ſcitam, quæ oblique facta ſit, commonefactionem.

§. 868.

Omnia enim reprehendere ſive ſcriptis, ſive colloquiis, ſe judicem, ſe cenſorem eorum, quæ parum dextre aut ore aut litteris prolata, obtrudere, cum hominum animos non offendere non poſſit, ideoque plurimum, quod diſplicere reliquis neceſſe ſit, inferat: ſane ex notione pedantiſmi, quam formavimus §. 823. ac decori ipſius, quod in placendi ſtudio, ſalva honeſtate, ſuſcepto ponitur §. 771. facillime intelligas, ea omnia pedantiſmi in crimen incurrere. Pædagogi eſt, puerorum dicta & facta, quæ vitium habent, corripere

§. 869.

Neque vero ſub finem prætereunda mihi ſilentio videntur, Beſoldi, Juris periti noſtrâtis doctiſſimi, quamvis deinceps apoſtatæ, verba, quæ habentur diſſertat. I. *de educatione, ſtudiis litterar.* num. 3. p. 23. edit. in 4ta form. 1626. clauditur teſtimonio Beſoldi

§. 870.

Ego etiam præcipue hoc moneo, affectationem doctrinarum, litterarumque eſſe vitandam; eo magis doctum prudentemque cenſerem, qui artem occultat, ita ut in naturam tranſiiſſe videatur. verba ejus

§. 871.

Aliter qui faciunt ab eruditione ad pedan- verba ejus

 tiſmum

tiſmum declinant, vitæ genus omnibus odioſum, atque inviſum. Cunæus in fol. m. 42. *de quo apud Arrianum Epictetus eſt intelligendus cum ait libr.* 1. *cap.* 11. *ſub fin :* SCHOLASTICUM ESSE ANIMAL, *quod ab omnibus deridetur.*

§. 872.

continuata *Sapienter itaque ſuadet Antoninus Imp. L.I. fol.* 166. *præceptorem eligentem circumſpicere de homine debere, qui palam experientiam, & in tradendis ſcientiis facultatem, minimum ſuorum bonorum putaret.*

§. 873.

continuata *Idem fol.* 176. *felicem ſe prædicat, quod cum animum ad philoſophiam adjunxiſſet, non inciderit in ſophiſtam aliquem : qui aut in ſcriptoribus deſederit, vel in ſyllogiſmis diſſolvendis doceret.*

§. 874.

Tranſitus Diximus tandem de ſapientia, quantum ſatis eſt. Quid ſit ſcientia, quid amor, quid veritas, honeſtas quid ſit? quibus rebus ſapientia abſolvitur.

§. 875.

ad ornatûs notionem Cum autem oratoriam, ſeu, ſi mavis, generatim eloquentiam adpellaverimus non ſolum ſapientiam, ſed maxime talem, quæ ORNATE loquatur : nunc de ORNATU quoque præcipiendum eſt.

§. 876.

definitio ornatus nominalis Definitione nominali, uti vocant, ſeu ea, quæ rei characterem primum, quo ab omnibus aliis

inter-

internoſcitur, exhibet, ORNATUM dicere poſſis, QUIDQUID SIVE ANIMUM SIVE SENSUS OBLECTAT. Novi, quid Morhoffiis ſentiat, de Patavinitate Livii cap. 5. p. m. 509. *quæ itaque pulcra dicuntur, non ſemper cum jucunditate conjuncta ſunt. Jucunditas enim orationis procedit plerumque ab indole, & ingenio hominis, ſed pulcritudo ab artis præceptis dependet.* Quia vero vocabulum jucunditatis hîc arctiori ſenſu capit pro ſuavitate ex ingenii bonitate orta; cum nos ſub eadem voce intelligamus quamlibet delectabilem orationem undecunque natam: nobis nullo pacto vir eruditiſſimus contrariatur.

§. 877.

Nondum adjicio unde illa oblectatio oriatur: ſatis eſto, in eo conſentire omnes, quotquot ad ſe ipſos animum advertere volunt, dum ex quadam re voluptatem capiunt: illam rem à ſe ornatam ac pulcram judicari, propterea quod delectat. à nemine rejicienda

§. 878.

Habeo omnes, ni fallor, ideoque & antiquos philoſophos, conſentientes. Unus prodeat ex multis. Ariſtoteles de Rhetor. Libr. III. cap. 2. §. 3. & 5. locuples ejus rei eſſe teſtis poteſt. conſentit Ariſtoteles

§. 879.

Poſtquam enim §. 3. inter alia dixerat, ornatam dictionem effici vocibus peregrinis, erga quas homines non aliter affecti ſint, quàm in homines peregrinos, qui ſui admirationem pariant: ſcopus ejus

riant: tandem ſubjicit, quidquid gignit admirationem ſuave eſt.

§. 880.

verba ipſa. Expendamus verba ipſa. *μὴ ταπεινὴν δὲ, ἀλλὰ κεκοσμημένην τἄλλα ὀνόματα ποιεῖ. ὥσπερ γὰρ πρὸς τοὺς ξένους οἱ ἄνθρωποι, καὶ πρὸς τοὺς πολίτας, τὸ αὐτὸ πάσχουσι πρὸς τὴν λέξιν. Διὸ δεῖ ποιεῖν ξένην τὴν διάλεκτον. θαυμασαὶ γὰρ τῶν ἀπόντων εἰσίν. ἡδὺ δὲ τὸ θαυμαστόν.*

§. 881.

latina *Non humilem autem, ſed excultam & ornatam* (orationem) *alia reddunt &c - - quemadmodum enim erga peregrinos & erga cives affecti ſunt homines, ita etiam erga orationem. Itaque dictionem reddere peregrinam oportet. Res enim externas homines admirantur,* QUOD *autem* GIGNIT ADMIRATIONEM SUAVE EST.

§. 882.

ſeries ratiocinationum ejus. Ariſtoteles igitur hac ratiocinationum ſerie, ſi ordinatius evolvatur, uſus eſt: dictio peregrina orationem ornatam reddat: cur? omne peregrinum admirationem excitat: omne quod excitat admirationem, ſuave eſt: omne quod ſuave eſt, ornatum eſſe judicatur: ergo qui ornatam dictionem deſiderat, adhibeat peregrinam.

§. 883.

notioni conformis noſtræ Quis non intelligit eandem ornatûs notionem Ariſtotelis menti eſſe obverſatam, quam & nos §. 876. formavimus?

§. 884.

etiam vir- Equidem novi, etiam virtutem oblectamento,

eidemque

eidemque genuino & exquiſitiſſimo eſſe : ſed ob eam ipſam cauſſam à veris rerum æſtimatoribus, pulcra & amabilis judicatur. Sic enim Cicero ad Dolabell. L. XIV. ad Attic. p. 961. edit. Schrevel. tus pulcra ex definitione

§. 885.

Nam cum te ſemper dilexerim, quantum tu intelligere potuiſti, tum his tuis factis ſic incenſus ſum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil enim eſt, mihi crede, virtute formoſius, nihil pulcrius, nihil amabilius. Sed non omne tamen, quod ornatum eſt, honeſtum eſt: cum poſſit eſſe honeſtæ artis effectus; licet omne honeſtum ſit ornatum. verba ciceronis

§. 886.

Quod ſi vero originem oblectationis, quâ homines affici poſſunt, omnis, indagare placeat: res altius repetenda erit, ut ORNATUS exhibere definitionem geneticam liceat. inveſtiganda definitio genetica

§. 887.

Vidit aliquid Plutarchus in quæſtion. platonic. T. II. op. p. 1004. litt. D. τὸ δὲ κάλλος ὁμοιότητι τῇ πρὸς τὰ θεῖα κινεῖ καὶ ἀναμιμνήσκει τὴν ψυχήν. plutarchi verba

§. 888.

Pulcritudo autem ſimilitudine rerum divinarum animum movet, eidemque res in memoriam revocat. Quid autem eſt divinum, niſi ſingulare, eximium, præſtantiſſimum, excellentiſſimum? latina cum judicio

§. 889.

Recte igitur res præſtantes ac divinæ nos oblectare, & ornatum habere dicuntur: interim cur res præſtantes delectent?

nondum liquet, quid in ſe habeant, quod oblectet, & cur voluptatem ſive intelligenti, ſive ſentienti, creare poſſint?

§. 890.

-uidas aliquid vidit Longius vidit, & aliquanto plura detexit Suidas in voce κάλλος, T. I. p. 1362. edit. Colon. 1619. verba ejus hæc ſunt:

§. 891.

verba ejus *Κάλλος συμμετρία τῶν ἀνομοιομερῶν ἐν ἡμῖν μερῶν. προσώπου, τραχήλου, χειρῶν τῶν ἄλλων μερῶν.*

§. 892.

latina *Pulcritudo eſt convenientia (commenſuratio) diſſimilarium in nobis partium, faciei, colli, manuum, cæterarum partium.*

§. 893.

jusdem :rba al- us du- :ntia Sed iterum quid ſymmetria, ſeu commenſuratio ſit, ulterius ſcrutari juvabit. Explicat ſuam Auctor citatus mentem alibi, in voce συμμετρία. p. 827. Tom. II. edit. citat:

§. 894.

græca *Συμμετρία. ὁμώνυμον. ὥσπερ καὶ τὸ σύμμετρον. σύμμετρα γὰρ τὰ τῷ αὐτῷ μέτρῳ μετρούμενα. καὶ τὰ οἰκεῖα ἑκάστῳ, καὶ ἀρκοῦντα, ἢ κατὰ τὸ πλῆθος, ἢ κατὰ τὸ μέγεθος, ἢ κατὰ ποιότητα, καὶ κατὰ τὰς δυνάμεις ἀνάλογον ἔχοντα.*

§. 895.

latina *Symmetria, q. d. commenſuratio, vocabulum eſt æquivocum. - - - Symmetra enim ſunt, quæ eâdem menſura metimur, & quæ cuique conveniunt, & ſufficiunt, vel multitudine, vel magnitudine, vel qualitate, & quæ ſecundum facultates proportionem habent.*

§.896.

§. 896.

Symmetria igitur eſt, quum diverſæ rei totius partes ita mutuo contemperatæ nexu ſunt, ut nec magnitudine, nec multitudine, nec qualitate, nec facultate agendi quæquam excedat illam menſuram, quæ ad rei totius finem, quam breviſſime, ſed & optime conſequendum, relata eſt. judicium

§. 879.

In omni igitur ſymmetria plura referuntur ad unum. Quandoque plura ſunt, ad quæ cætera reſpiciunt: tum partes neceſſe eſt ordinari ita, ut, ſi uni ſcopo inſerviunt, altero, æque propoſito, ne excidant. Quæ ſane ſumma in compoſitis ornatûs generibus difficultas eſt, ne uni tantum tribuas, qnod alteri nimium detrahat. quid infe-rat ſym-metria?

§. 898.

Exprimam hæc Viri politiſſimi Joh. Chriſtoph. *Gottſched* verbis, *in den erſten Gründen der geſamtem Weltweißheit*, edit. Lipſ. 1733. p. 131. §. 249. ſeq. qui hæc perſpicue & nervoſe proponit: Gottſche-dii

§. 899.

Wann vieles an einem Ding wol übereinſtimmet, ſo daß es nach einerley allgemeinen Reglen eingerichtet worden: ſo nennet man ſolch ein Ding vollkommen. verba

§. 900.

Die Vollkommenheit iſt alſo die übereinſtimmung des manigfaltigen. z. E. eine Uhr hat viele Räder und andre Theil: aber dieſe ſtim- continu-ata

men darinn überein, daſs ſie durch die Umdrehung des Zeigers und den Glockenſchlag die Zeit abtheilen und andeuten, daher hat die Uhr eine Vollkommenheit.

§. 901.

continuata

Wann eine ſolche Vollkommenheit in die Sinnen fällt, und ohne deutlich eingeſehen zu werden, klar empfunden wird: ſo heiſst ſie Schönheit.

§. 902.

continuata

Wann nur eine eintzige allgemeine Haupt-Regul beobachtet worden; ſo iſt die Vollkommenheit nur einfach: wann aber mehrere beobachtet werden; ſo iſt ſie zuſamengeſetzt. z. E. wer einen Garten nur zur Luſt anlegt, der hat nur eine Haupt-Regul: wer ihn aber zur Luſt und zum Nutzen zugleich anlegen will, der hat zwey Haupt-Reglen in acht zu nehmen. Eben dieſes hat auch in der Schönheit ſtatt.

§. 903.

ornatus tum intelligendi, tum ſentiendi eadem ratio.

Cum igitur perfectionis, cujus ſymmetria nonniſi capitur intellectu, & pulcritudinis, quæ in ſenſus cadit, eadem ratio ſit: perſpicuum eſt, unam eandemque cauſſam eſſe quæ animum oblectat, ac ſenſus.

§. 904.

quid ergo in genere ſit definitione genetica?

ORNATUS igitnr ſive intellectui admirabilis ſive ſenſui, eſt SYMMETRIA REI TOTIUS, CUJUS PARTES, multitudine, magnitudine, qualitate &c AUT UNAM AUT PLURES REGULAS, EX TOTIUS REI SCOPO FORMANDAS, APTE SEQUUNTUR.

§. 905.

§. 905.

De illis rebus, quæ per ſenſus oblectant, dubium cuiquam videri poſſet, num & ipſæ tanta ſint ſymmetria contemperatæ, ut ex ea naſci voluptas queat, quæ exſiſtit, quoties res pulcras ſive audimus, ſive oculis ſubjicimus. poſſet oriri dubium

§. 906.

An ille ornatus, illa ſuavitas, quæ ex amabili geſtuum, in oratore, forma oritur; quæ naſcitur ex picturæ egregiæ adſpectu; quam ſonorum concentus, idemque perjucundus, parit, etiam cuidam ſymmetriæ originem debet? Atqui, quis eſt, qui eam adeſſe animadvertat? plenius propoſitum

§. 907.

Reſpondebo verbis Leibnitii, *in dem vertheydigten* Syſtemate harmoniæ præſtabilitæ, *überſetzt von Heinrich Köhlern* Phil. & Jur. U. C. 1720. ubi p. 93, & 94. hæc occurrunt: reſpondetur

§. 908.

Ich habe anderswo gezeiget, daß die undeutliche Empfindungen vor die Lieblichkeit, oder Unannehmlichkeit, die ſich in dem wol-oder Ubelklang befindet in einer verborgenen Arithmetic *beſtehe.* verbis viri docti.

§. 909.

Die Seele zehlet die Schläge der klingenden Cörper, welche in vibration *ſeynd, und wann dieſe Schläge ordentlich und nach kleinen* intervallis *mit einander zuſammen treffen: ſo fühlet ſie ein Vergnügen.* continuatis

§. 910.

Alſo verrichtet ſie dieſe Rechnung ohne daß continuatis

ſie

ſie es weiſt. Daher geſchiehet es auch, daß dieSeele unendlich andere kleine, aber anbey ſehr wol zuſamen ſtimmende Würckungen ausübet, ob ſie gleich nicht von ihrem Willen herrühren, noch anders erkannt werden, als ſofern ſie einen ſehr merchlichen effect, *worauff ſie endlich abziblen, und züſammen lauffen, gewinnen.*

§. 911.

continuatis

Es muß alſo der Verſtand ſich bemühen, durch gehörige Schlüſſe zu erſetzen, was wir à poſteriori *wahrzunehmen nicht vermögen, wie man dann dieſes bereits in der Muſic bewerckſtelliget hat, allwo man die* proportion, *woraus eine Anmuth erwächſet, entdecket hat.*

§. 912.

conſectarium

Nihil igitur ornatum eſſe poteſt, ideoque nec placere quidquam, quod non ſit certa proportione ſic contemperatum, tali ordinatum ſymmetria, ut in magna rerum quæ circumſtant, aut partium varietate, omnia referantur aut ad unam, aut ad plures regulas: quibus varietas in unitate, & unitas in varietate exſiſtat.

§. 913.

officium ornate dicturi

Quicunque igitur ornate loqui vult, qui eloquentiæ finis eſt: is eandem orationis ſymmetriam, i. e. in maxima verborum ubertate, ſummam omnium, ad eundem commovendorum animorum finem, tendentem harmoniam, ſibi conſequendam eſſe, perpetuo meminerit.

§. 914.

quomodo explendum?

Infinita varietate eloquenti propoſita intelliguntur. VERBA, ARGUMENTA RERUM,

UTRO-

UTRORUMQUE MODUS & RATIO, AUDITORUM AFFECTUS, OCULI, AURES, LOCUS, TEMPUS, quo quæque horum magis aptiusque, quo & plura eorum, eloquentis dexteritas, in unum conſentire jubet, occupandi audientium animi, ſcopum: eo ORNATIOR exſiſtit oratio.

§. 915.

Si verba conſentiant loquendi ſcopo, quem æſtimamus ex intelligentia audientis; exſiſtit perſpicuitas, prima & nunquam non ſummi facienda orationis virtus; *fundamentum perſpicuitatis*

§. 916.

Si verba æquent res, ideoque maximæ magnificis, mediocres mediocribus, tenues tenuibus exprimantur: orationis oritur decorum, oblectationis habens quam plurimum: *decori in oratione*

§. 917.

Si & verba & argumentorum pondera modum habeant, tempori ac loco adaptatum: oratoris elucet prudentia: *prudentiæ in oratione*

§. 918.

Si utraque habeant, quæ cum audientis affectu concinere poſſint: ſermonis enaſcitur efficacia, tantopere eloquenti commendanda: *fundamentum efficaciæ*

§. 919.

Si motus corporis omnes conſentiant cum verbis rerumque argumentis: ſplendor orationis emicet neceſſe eſt: *orationis ſplendor qui?*

§. 920.

Sin eloquentis vox, ſive natura ſive arte, ad aures demulcendas accommodata ſit: ſuaviſſimam *ſuavitas quæ?*

mam fieri orationem, aliâs vel mediocrem, oportet.

§. 921.

hæc omnia inter ſe varie combinata infinite differunt

Ex ipſa combinationis regula innumeris hæc modis ulterius variari, ideoque ſubdividi poſſe, cum per ſe obiter advertenti occurat, pluribus ut exponam, neceſſarium non eſſe videtur.

§. 922.

perſpicuitas prima virrtus

Prima igitur orationis virtus, ex qua ornatus, i. e. placendi ratio, cooritur, cum ſermocinandi fine, quem, hac ingeneranda facultate, creator intendit, convenire maxime debet.

§. 923.

ſimile.

Perſpicuitatem innuo ſtyli limpidiſſimam, quæ præcipua ejus virtus eſt. Serenum cœlum, quis non anteponat turbulento: pellucidam vero quoque orationis proprietatem, quis non præferat inanium verborum turbæ?

§. 924.

teſtimonium Quinctiliani

Digna eſt Quinctiliani admonitio, quæ huic loco inſeratur. L. VIII. inſtitut. orat. cap. 2. p. 452. edit. Obrecht. *Eſt etiam in quibusdam turba inanium verborum, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti ſpecie nitoris, circumeunt omnia copioſa loquacitate, quæ dicere volunt; ipſam deinde illam ſeriem, cum alia ſimili jungentes, miſcentesque.*

§. 925.

continuatum lepido exemplo

In hoc malum etiam à quibusdam laboratur: neque id novum vitium eſt, cum jam apud Titum Livium inveniam; fuiſſe præceptorem

torem aliquem, qui diſcipulos obſcurare, quæ dicerent, juberet, græco, verbo utens; σκότισον. Unde illa ſcilicet egregia laudatio: tanto melior, ne ego quidem intellexi.

§. 926.

Alii brevitatis æmuli neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba, & velut ſatis ſit, ſcire ipſos, quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. continuatum

§. 927.

Quod in poetis Horatius reprehendit: id ſane & oratoribus vitio dari meretur: Horatii teſtimonium

Decipimur ſpecie recti: brevis eſſe laboro
Obſcurus fio, ſectantem lævia, nervi,
Deficiunt animique: profeſſus grandia turget

de arte poetic. vers. 25. ſeq.

§. 928.

Limpidæ aquæ, cujus ad fundum usque oculis proſpectus patet, non lutulentæ, imaginem referre oratio debet. ſimile

Ora fremunt undæ, longusque è fontibus amnis
Diripitur, modo lene virens & gurgite puro
Perſpicuus: nunc ſordet aquis egeſtus ab imo
Alveus: inde toros riparum & proruta turbant
gramina.

Judicent oratores ipſi, cujusnam faciei, examne diverſis temporibus relucentis, ſimiliorem eſſe ſuam orationem præoptent? vid. Stat. L. IV. verſ. 816. Sylv.

§. 929.

Scite profecto Ariſtoteles ſcribit, rhetoric. L. III. teſtimonium Ariſtotelis

L. III. cap. 2. §. 1. edit. Schrad. ἔστω οὖν ἐκεῖνα τεθεωρημένα καὶ ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι.

§. 930.

verba ejus. Σημεῖον γάρ, ὅτι ὁ λόγος ἐὰν μὴ δηλοῖ οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. quæ ratio omnium præſtantiſſima eſt.

§. 931.

latina *Maneant igitur illa firma. Hic autem elo cutionis virtus eſſe ſtatuatur, ut aperta ſit, atque dilucida.*

§. 932.

finis ſermonis omnis idem probat *Cujus rei ſignum eſt, quod niſi oratio ren declaret, finem ſuum non aſſequetur.* Fini quippe eſt, ut animi ſenſa cum altero commu nices: communicari autem ægre poſſunt, ſi quid verba ſignificent, ne adtendenti, & lingu gnaro quidem, magnopere apertum ſit.

§. 933.

hinc monita Tullii ſequenda Id ergo officii orator ſibi datum eſſe intelli git, ut monita ſequatur Ciceronis L. III. d oratore, T. I. edit. Godofr. litt. A. B. C. ub fere omnes obſcuritatis fontes detegit, &, vi tandos eſſe, declarat.

§. 934.

verba ejus *Neque vero in illo altero diutius commore mur, ut diſputemus, quibus rebus aſſequi poſſ mus, ut ea, quæ dicamus, intelligantur: la tine ſcilicet dicendo, verbis uſitatis, ac pro prie demonſtrantibus ea, quæ ſignificari, ac de clarari volemus, ſine ambiguo verbo, aut ſer mone, non nimis longa continuatione verbo rum, non valde productis iis, quæ ſimilitud ni*

nis cauſſa ex aliis rebus transferuntur, non diſcerptis ſententiis, non præpoſteris temporibus, non confuſis perſonis, non perturbato ordine.

§. 935.

Quid multa? tam facilis eſt tota res, ut mihi permirum ſæpe videatur, cum difficilius intelligatur, quid patronus velit dicere, quam ſi ipſe ille, qui patronum adhibet, de re ſua diceret. Iſti enim qui ad nos cauſſas deferunt, ita nos plerumque ipſi docent, ut non deſideres planius dici. continuata

§. 936.

Easdem res autem ſimul ac Fuſius, aut veſter æqualis Pomponius, agere cepit, non æque, quid dicat, niſi admodum adtendi, intelligo, ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum: tantaque inſolentia ac turba verborum, ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, ea OBSCURITATEM ET TENEBRAS *afferat, atque ut quodammodo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere videantur.* ſtyli obſcuri effectus

§. 937.

Cum igitur obſcuritates verborum ac tenebræ nemini placeant, cum tanta orationis turba ac inſolentia oblectare nullo pacto poſſit: fateamur neceſſe eſt, ea omnia ab ornatu ſermonis abhorrere quam plurimum: nec, niſi illum ornate loquendi facultate, i. e. eloquentia, condecoratum eſſe, qui perſpicue, qui verbis dilucidis, qui oratione adtendenti facile intelligenda, effari, quæ conſtituit, queat. itaque obſcuritas ſtyli ornatui obſtat.

§. 938.

perſpicuitas eur ornatûs filia

Hujus enim verba omnia, cum omni ubertate, abundantia, & copia, ad unam tamen eandemque regulam referuntur, quæ eſt dilucida ſenſorum animi cum aliis communicatio: quo amico conſenſu fieri ſolet, ut perfectio, 899. ex perfectione delectatio §. 876. ex delectatione, ornatûs idea tandem cooriatur: quam cum ſapientia conjunctam, omnem eloquentiæ vim continere, dixi.

§. 939.

oratio prudens

Prudentiam oratoris dixi, quâ verba, & argumentorum pondera TEMPORI & LOCO adaptat, Quæ olim in foro moverunt auditores, hodie non percellunt tantopere quemquam: quæque Aſiæ populis facundia placet Europæis non placet.

§. 940.

tempore & loco eloquentia variat

Illud experientia confirmat, hoc Ciceronis evincitur teſtimonio, in Brut. ſeu de clar. orator. T. I. edit. Godofr. p. 345. litt. G. ubi in hanc ſententiam pronuntiat:

§. 941.

probatur verbis Tullii

Aliud autem genus eſt, non tam ſententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum: quali eſt nunc Aſia tota, nec flumine ſolum orationis; ſed etiam exornato & faceto genere verborum, in quo fuit Æſchylus &c &c.

§. 942.

flumen ſine ornatu

In iis erat admirabilis orationis curſus; ornata ſententiarum concinnitas non erat. Hæc autem, ut dixi, genera dicendi aptiora ſunt adoleſ-

adoleſcentibus. Vid. plura in inſtitut. orator. Gerh. Joh. Voſſii L. VI. cap. 6. num. 2. p. 467. edit. Lugd. dat. 1643.

§. 943.

Illis locis, quæ citavit Voſſius, intelligitur, atticæ dictionis genus, quod in Europa floruit, multum ab Aſiatico diſceſſiſſe.

alius Europæorum guſtus

§. 944.

Etiam hodiernorum temporum ratio idem commonſtrat. Gallorum in dicendo lepor atque concinnitas; ſententiarum, quibus Hiſpani utuntur, gravitas; Germanorum inter utrosque ambigentium mediocritas; per pulcræ Italorum in verbis veneres, & argumenta ingenioſa; Anglorum oratio perpetuis philoſophiæ ratiociniis fecunda, nec injucundiſſima lectu: non omnem eloquentiam omnibus familiarem, ideoque jucundam, demonſtrant.

eloquentia in variis populis varia.

§. 945.

Oratoris igitur eſt, ſuſcepta prudenti & locorum, & temporum, quibus arte inſervit ſua, æſtimatione, ſecum conſtituere, quid cuique, quo quidvis loco, quo quidvis tempore conveniat.

itaque oratoris eſt loco & tempori inſervire.

§. 946.

Quod quidem ſi facit, juſta orationis cum loci ac temporis conditionibus individuis, ſymmetria obtinetur, per ſymmetriam, perfectio, in perfectione ſermonis, audientium voluptas, in voluptate ornatus, §. 876. in ornatu eloquentia: quæ ex notionibus harum virtutum, ſupra traditis, ſua quisque ſponte, non difficulter cognoſcet.

ratio, cur id eloquentiæ munus ſit?

§. 947.

oratoris prudentia quid?

Hæc enim eſt prudentiæ genuina idea, ut in rebus maxime experiundis verſetur, & ad individuas earum conditiones usque exporrecta agat: cum ex altera parte ſapientia rerum pervagetur genera, veritatem honeſtatemque in ſe contemplans, &, juſta omnium æſtimatione, prudentiæ ulterius progreſſuræ ad ſingula negotia, leges præſcribat, mox per prudentiam, ipſo uſu, confirmandas, & varia locupletandas applicatione.

§. 948.

ſine hiſtoriæ notitia non impetratur

Applicari autem prudenter ad ſingulos auditorum cœtus eloquentia cum fructu non poteſt, niſi ſingulas res complures, in vario individuorum eventuum concurſu, orator vocaverit ad animum, individuos vero eventus conſiderare non poteſt, ſine exemplis, neque hoc facere, ſine hiſtoria. Quid enim eſt HISTORIA, quàm ſive PRUDENTIA, SIVE IMPRUDENTIA, REPRÆSENTATA IN EXEMPLIS?

§. 949.

probatur ex notione prudentiæ ciceroniana

Egregie, more ſuo, Tullius L. II. de inventione, T. I. edit. Godofr. p. 147. litt. D. E. *Prudentia eſt rerum bonarum, & malarum, & utrarumque ſcientia.*

§. 950.

partes prudentiæ memoria.

Partes ejus memoria, intelligentia, & providentia. *Memoria eſt, per quam animus repetit, illa quæ fuerunt.*

§. 951.

§. 951.

Intelligentia eſt, per quam ea perſpicit quæ ſunt. intelligentia

§. 952.

Providentia eſt, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum ſit. providentia

§. 953.

Orator igitur, prudenter verba facturus, primo præterita reſpicit: ex quibus certior fiat, quid apud hos auditores, hoc loco, hoc tempore, in his cauſſarum eventibus, audientium animos commoverit, aut non? orator præterita reſpicit

§. 954.

Proſpicit futura, ne quid verborum, quæ adhibet, ne quid rerum, de quibus agit, ne qua ratio dicendi, qua utitur, effectum ſcopo, quem præfixum habet, contrarium pariat. Sæpe, qui ſuam ſibi rem pulcre curaſſe videntur, præter opinionem, ſpe ſua excidunt, &, ſe parum in animis auditorum conſecutos, tandem aliquando indignantes ſentiunt. Demoſthenis exemplum, in primis eloquentiæ naſcentis tyrociniis, citabimus infra. §. 106. 107. *de eloquentia corporis.* proſpicit futura

§. 955.

Perſpicere etiam præſentia orator annititur: loci, temporisque habita non mediocri cura. perſpicit præſentia

§. 956.

Expendendum eſt, quæ terra, quæ urbs, quod ἀκροατήριον? qui mores loci in univerſum, qui affectus incolarum ſpeciatim hujus urbis, qui denique oratorii, pro figuranda voce ſitus, quæ opportunitas? ratione loci.

§. 957.

ratione temporis Ponderandum eſt: in quo vivas ſeculo, quo anno, quo die? qui ſeculi mores, quæ anni fata, quæ diei ſingularia.

§. 958.

quæ varia ad communem ſcopum relata perfectionem pariunt. Quibus omnibus, ad communem finem, auditores commovendi, accommodatis, varietas quædam, ad eandem legem relata, exſiſtit, in qua eſt perfectio, §. 900. ex perfectione emicat auditorum voluptas, ex voluptate ornatus, §. 876. ex ornatu intelligitur, ut primum ſermonem condecorat, eloquentia.

§. 959.

nova orationis virtus, ornatum gignens Quando verba rebus æquantur: iterum plura in eodem, i. e. in exprimendo rerum charactere, conſentiunt: ex quo nova oritur perfectio, voluptas audientis, ideoque diſtincta eloquentiæ virtus.

§. 960.

appellatur orationis dignitas ſeu potius decorum. Illam quidem virtutem, ſtyli decorum rhetores vocant. Nec enim læta triſti, nec triſtia læto, nec grandia tenui, nec tenuia grandi, nec, quibus omnes commoventur, frigido, nec quotidiana, ardentiſſimo dicendi genere, exprimenda ſunt.

§. 961.

teſtimonium Lucretii De ornatiſſimis ornatiſſime, de tenuibus tenuiter dicendem: inde Lucretius de rer. nat. L. VI. verſ. 81. ſeq.

Multa tamen reſtant, & ſunt ornanda politis
Verſibus, & ratio ſuperûm cœlique tenenda
Sunt tempeſtates, & fulmina clara cavenda.

§. 962.

§. 962.

Idem poſcit Horatius, de arte pöetica,' verſ. 89. ſeq. quod autem pöetis, multo magis oratoribus, obſervandum eſt: Horatii

Verſibus exponi tragicis res comica non vult.
Indignatur item privatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ
Singula quæque locum teneant, ſortita decenter.

§. 963.

Duplex autem potiſſimum orationis decorum conſtitui poteſt. Ad qualitatem rerum aliud ſermonem attemperat, aliud vero ad quantitatem. Illud momenta rerum ponderat: hoc temporis, quo dicendo exornari merentur, curam gerit. duplex orationis dignitas

§. 964.

Illius exempla Dionyſius Longinus de ſublimitate Sect. III. num. 6. ſeq. p. 17. edit. 1694. citat. Dionyſius Longinus

§. 965.

Ταύτῃ καὶ τὰ τοῦ λεοντίνου Γοργίου γελᾶται γράφοντος, ξέρξης ὁ τῶν περσῶν ζεῦς, καὶ γύπες ἔμψυχοι τάφοι. Καί τινα τοῦ καλλισθένους, ὄντα οὐχ ὑψηλὰ ἀλλὰ μετέωρα. prioris exemplum præbeti

§. 966.

Καὶ ἔτι μᾶλλον τὰ κλειτάρχου, φλοιώδης γὰρ ὁ ἀνὴρ, καὶ φυσῶν κατα τὸν Σοφοκλέα. continuatum

οὐ σμικροῖς μὲν αὐλίσκοισι, φορβειᾶς δ' ἄτερ

§. 967.

Itaque & illa Leontini Gorgiæ riſum movent, quum Xerxem Perſarum Jovem vocat, & vul- verba latina

 tures

tures animata ſepulcra. Item Calliſthenis nonnulla, quæ non tam grandia ſunt, quam inaniter turgentia, & ſufflata.

§. 968.

continuata

His autem multo putidior eſt Clitarchus, vere hordeaceus ſcriptor: de quo merito illud Sophoclis uſurpaveris:

Parvis quidem non ille ſpirat tibiis
Tumidum ſed os nunquam capiſtro continet.

§. 969.

judicium

Quomodo enim Xerxes cum Jove comparari poſſit, quem Græcia pulſum turpi ſe fugæ dediſſe ſcriptores tradunt. Corn. Nep. II. cap. 5. §. 2.

§. 970.

poſterior orationis dignitas ſeu decorum.

Datur vero quoque orationis decorum quod in dicendo temporis rationem habet, nec, de paucis, multas horas loquacitate extrahit.

§. 971.

exemplum

Plutarchus in Laconica inſtituta mentionem facit cujusdam Cephiſophontis, qui in vitium huic virtuti contrarium incurrerit. T. II. ed. Xyl. p. 239. litt.

§. 972.

Plutarchi verba

Κηφισοφῶντα, ἐιπόντα περὶ τοῦ τυχόντος δυνάσθαι ὅλην τὴν ἡμέραν λέγειν, ἐξέβαλον, φάμενοι τὸν ἀγαθὸν μυθητὰν δεῖν τοῖς πράγμασιν ἴσον τὸν λόγον ἔχειν.

§. 973.

latina

Cephiſophontem profeſſum, de quavis re per integrum diem ſe dicere poſſe, urbe ejecerunt, dicentes, boni oratoris eſſe orationem rebus æqualem habere.

§. 974.

§. 974.

Notari hoc loco illi merentur, qui, nulla temporis ratione habita, frigidam, lentamque orationem, quam ſomni magis pulvinar, quam affectuum excitandorum palæſtram dixeris, multas per horas producunt: dicendi facultatem non tam præſtantiâ, quam temporis diuturnitate, metientes. oratores lenti, & prolixitatis ſtudioſi

§. 975.

Qui, quemadmodum ſuæ orationi dignitatem conciliare nullam poſſunt, cum nulla adhibeatur temporis cum dicendi ſcopo, ſymmetria, eamque ipſam ob cauſſam nec ornatus, nec delectatio: ita quoque alienum videri non debet, aut nullos, aut paucos ab iisdem animo commoveri auditores. quid efficiunt?

§. 976.

Cui quidem oratoris lenitati, ne quid gravius dicam, verborum, ſermonisque efficacia opponitur: de qua antequam pluribus, ut fas eſt, dicam: præmittenda quædam ſunt, de harum virtutum, unà conſequendarum, difficultate. de difficultate harum virtutum unam conſequendarum.

§. 977.

Quod in omni perfectione compoſita evenire ſolet, ut aliæ regulæ aliis nonnihil detrahant: id & in eloquentiæ ſtudio maximam oratori curam injicit. difficultas ea perfectionis compoſitæ filia.

§. 978.

Videamus, quænam illæ difficultates ſint, & quomodo naſcantur? ſcite in hanc rem iterum differit, laudatus ſcriptor Gottſchedius T. I. p. 133. *in den erſten Gründen der geſammten Weltweißheit.* quomodo naſcatur?

§. 979.

§. 979.

ex diverſitate regularum

In zuſamen geſetzten Vollkommenheiten flieſſen die Reglen aus verſchidnen Gründen, und können daher leicht zuweilen wider einander lauffen. z. E. die Schönheit des Gebäuds kan leicht etwas erfordern, was der Nutzbarkeit deſſelben zuwider iſt, und umgekehrt.

§. 980.

imperfectionem partis inferentium

Es iſt alſo eine Ausnahm alsdann unentbehrlich, und man muß daher an einem Ding, umb der Vollkommenheit des gantzen Willen, zuweilen etwas unvollkommenes in den Theilen dulden: wann nur die Ausnahm da gemacht worden, wo es am wenigſten zu bedeuten hat.

§. 981.

quæ nam regula potior.

Dieſes in beſondern Fällen richtig zu beurtheilen, muß man auff den Haupt-Zweck des Urhebers eines ſolchen Werckes ſehen. Dieſe gibt die wichtigſte Regul, und von dieſer muß am wenigſten gewichen, oder eine Ausnahm gemacht werden. Die geringe Reglen hergegen, die in andern Neben-Abſichten ihren Grund haben, müſſen auff bedörffenden Fall weichen.

§. 982.

Eloquentia perfectio compoſita, quia pluribus æſtimatur.

Eædem regularum colliſiones in excolenda quoque eloquentia ſe offerunt. *Unus quidem facundiæ omnis in toto, qua patet, orbe florentis, ſcopus*, propoſitum unum eſt, ut animos auditorum commoveas, ut commotis perſuadeas:

§. 983.

§. 983.

Sed cum homines modis infinitis varient, & cur pluri-
alii nonnullis rebus commoveantur, quibus alii bus regu-
cum affectuum quodam frigore adtendunt: fa- lis, cum tamen u-
cile ſecum quisque conſtituet, quam ancipites nus ora-
ſint orationum eventus, quantas oriri oporteat toriæ fi-
regularum ſibi mutuo detrahentium, præſertim nis?
coram diverſæ indolis auditoribus, pugnas, & veluti dimicationes.

§. 984.

Jam enim, in uno eodemque cœtu, hos vi- probatur
deas ab oratore, nixam ſolidiſſimis rationibus ex varie-
convictionem, quietô, ſed perſpicaci animo, tate audi-
exſpectantes: quibus, quicunque veroſimilibus torum
duntaxat, & ad affectus modo ciendos, accommodatis verbis, perſuadere conatur, non magnopere probari ſolet.

§. 985.

Jam verò inter eosdem auditores exſiſtere aliud au-
ſentias, qui veritates non niſi ex affectu æſtimant: ditorum
eaque omnia, quæ ſine limpida & ſerena ani- genus
mi, profundiora ſpectantis, tranquillitate, cognoſci non poſſunt, vaniſſimarum ſubtilitatum in numero ponunt.

§. 986.

Quidquid his placet, id animum percellere, deſcribi-
rerum vivaciori ſenſu afficere, & quodam mo- tur hoc
tuum internorum vento, menti eorum effica- aliud
cius adſpirare debet. Plus enim affectu & ſenſu, quam accuratiori rerum obviarum intelligentia, metiuntur, quod ipſis objectum eſt.

§. 687.

denuo novum

§. 987.

Alii ut paucis, maxima ſententiarum gravitate, & argumentorum velociſſime perſtringentium fulgure, animum concutias, inprimis præoptant: reliqua ipſis languida, frigida, nec judicioſo homine, qui ponderat verba, non numerat, digna videntur:

præcedenti adverſum

§. 988.

Ex adverſa parte autem ſunt, qui id dicendi genus dialecticis, non rhetoribus, commendandum eſſe arbitrantur, qui ob eam cauſſam diffuſo verborum flumine, in quo multum facilitatis, acrimoniæ parum exſiſtit, mirifice delectantur.

deſcribitur pluribus

§. 989.

Neque enim rem ullam, pro dignitate, ſatis ornatam verbis eſſe exiſtimant, niſi, abundante ſermonis copia, plenis velut cyathis, audientibus, ſive meri, ſive potius aquæ ad inſtar, propinata ſit.

aliud hominum genus

§. 990.

Alios circumſcripto, aſiatico, & ventoſo dicendi genere, quod fimbrias in longum latumque dilatat ſuas, alios medio, alios denique ſuccincto videas occupatos: quibus nec placet orator quisquam, niſi eadem chorda oberret.

homines iternm varii

§. 991.

Hos triſtes, hos lætos, hos motuum hac vice vacuos; hos ſummis rebus quotidie paſtos, & principum dignitate radiantes cognovimus, hos medii ordinis, illos infimi.

§. 993.

In triſtitiam qui proni exſiſtunt, quorum ex atra ſanguis bile permultum traxit, nonniſi tragica amant, divinæ Nemeſeos ſpirantes iras, infauſta futurarum calamitatum præſagia, & maximas rerum converſiones declamari cupiunt, comica deteſtantur. melancholici

§. 993.

Quos animus hilaris regit, illi comta, ſplendida, amabili, ingenioſa delectantur oratione, quæ plus ſalis habeat, quàm fellis, plures ſoccos quam cothurnos. hilares

§. 994.

Philoſophicæ autem mentes, quæ ambigunt inter genus utrumque, denudatam oratorio habitu, & exutam veritatem, verbis repræſentatam ſimplicibus, malle ſe cauſſantur, quam tanto colorum & phalerarum fuco depictam: quorum ſi ſtes judicio, omne decorum, quod ſenſus oblectat, eliminandum eſſet. Stoicorum fere ſimiles.

§. 995.

Summis præfecti reipublicæ negotiis, nonniſi ſumma amant, quæ ad prudentiam ſtatus, ſic enim vocatur, ad illuſtrandam gentis gloriam, ad augendam architectonicam militarem &c, verbis non vulgaribus, ſed in aula frequentatis, i. e. delicatis, circumſpectiſſimis, blandis, & ab omni idea, quæ vel tantillum offendere poſſet, gignenda, alieniſſimis, proponuntur. principes

§. 996.

Medii ordinis homines pro fortunarum varietate, jam altiorem dicendi vim deſiderant, medii & infimi ordinis

jam

jam in mediocri conquieſcunt: reliquis infimæ ſortis, nonniſi ea verba, illos ſermones curantibus, qui à re familiari, ab œconomiæ negotiis, à quotidiani laboris nominibus deſumti ſunt.

§. 997.

ambitioſi

Neque vero etiam deſiderantur illi, quibus orator placet nullus, niſi in ipſorum ſententias iverit, niſi ſe & verborum & argumentorum uſu, & reliquis omnibus illorum præbuerit imitatorem.

§. 998.

quibus pauci oratores probantur

Inde oratorem raro laudari ab illis audias, qui diverſis ſacris adſtipulantur, quos orator refutavit, quibuscum ipſi intercedit ſimultas, aut inimicitia gravis apertior.

§. 999.

ſtyli puri amatores

Res nobis vel mille objectas conſpicamur, quarum vel notitia, vel uſu Romani caruerunt. Videas igitur homines, nimio & ſuperſtitioſo humanitatis ſtudio faſcinatos, faſtidire orationem quamvis, quæ non ſumma ſtyli puritate, perſcripta eſt, quam vox vel una Ciceroni, & ætati ejus, ignota interpolat.

§. 1000.

contrarium ſentientes

Alii curam latinitatis tam anxiam pedantiſmi loco ponentes, quum res novas, barbariſmos, ſeu ſolœciſmos vitaturi, varie circumſcribimus veterum verbis, affectatum id, & à libero, efficaci, nec non jucundo dicendi genere, ad præſens ſeculum accommodato, longe alieniſſimum eſſe putant.

§. 1001.

§. 1001.

In tanta ſtudiorum diverſitate, quis unâ eâdemque opera ac oratione faciet, quod ſatis eſt, omnibus? Tanta quandoque mentium ſive varietas, ſive pugna eſt, ut huic placere non poſſis, niſi diſpliceas alteri. difficile ergo placere omnibus

§. 1002.

Non igitur, quod uni ornatum videtur, videbitur & alteri; nec adeo omnes ex una facundiam regula metiuntur. variant guſtus

§. 1003.

Quod vero in omni perfectione compoſita faciendum eſt, uti §. 981. dictum, idem & orator ob oculos ponere debet. Diſpiciendum nempe, quisnam ſit princeps omnium eloquentiæ ſcopus? quid faciendum?

§. 1004.

Princeps autem eloquentiæ finis eſt, UT PLACEAS OMNIBUS, ſi omnibus non potes, SALTIM NE DISPLICEAS ULLI. intuere principem ſcopum aut principi proximum

§. 1005.

Si non diſplicere aliquibus non potes; FAC SALTIM DISPLICEAS PAUCISSMIS, RELIQUIS TANTO MAGIS ADPROBERE. aut proximo vicinum

§. 1006.

Si multis diſplicendum ſit; FAC NE SAPIENTIBUS INTER EOS. SI & quibusdam ſapientibus; FAC ILLI INTELLIGANT, QUAM ID INVITO EGERIS ANIMO. aut vicino confinem aut huic continentem

§. 1007.

Si ne hoc quidem à te fieri aut præſtari poſſit; ad oratoriam te non natum exiſtimato. aut abſtine.

§. 1008.

exceptiones regularum faciendæ quando, ubi?

Intelligis, ſemper ita agendum, ut, quam proxime potes, ſcopo principi, qui ad univerſos oblectandos contendit, accedas; reliquos autem ſubordinatos fines, qui ſingulis deſtinantur, urgente quidem neceſſitate, cedere jubeas, ſed, quam fieri poteſt, parciſſime. ex §. 981.

§. 1009.

quomodo?

Quæ vero, quis præſtabit, niſi auditorum animos, ſtudia, inclinationesque cognoverit accuratius?

§. 1010.

caſus exceptionis primus

Videndum: omnes an eodem dicendi genere delectentur; tum res ſalva erit: an plerique tum exceptio admittenda, & pauciores prætereundi, non ut diſpliceas, ſed quia placere non potes.

§. 1011.

caſus ſecundus

Si magna in auditoribus ſit ingeniorum diverſitas; illos maxime in dicendo oblectare fas erit, qui ſapientiores, qui eruditi, aut reliquis meliores exſiſtunt.

§. 1012.

caſus tertius

Pro cœtu ſacro contra, rudes, ſimplices, peccatis obnoxii, quorum pars ſemper maxima, docendi & excitandi ſunt.

§. 1013.

regula generalis

Semper, omnibus penſitatis, quid factu optimum, Philipp. 1. v. 10. nempe quid ad ſummum ſcopum, quàm fieri poteſt, pauciſſimis anfractibus (regularum exceptionibus) ducat, cogitandum eſt.

§. 1014.

§. 1014.

Hâc viâ in eloquentiæ ornatu, qui perfecti- onem valde compoſitam, i. e. ad plures quan- doque, easdemque variantes, imò & pugnan- tes regulas, adaptandam, repræſentat, ſemper quam pauciſſimis poteſt, locus relinquitur ex- ceptionibus. exceptionis fundamentum perfectio compoſita

§. 1015.

Quæ quidem colliſarum regularum tempe- ramenta, quia non locum habent, niſi reſpectu mirifice variantis auditorum indolis: dicendum nunc quoque erit, quid in conflictu circa illas virtutes ſtyli ipſius faciendum ſit, quarum quan- doque alia aliam excludit, & inde natas regu- las infeſtis committit cornibus? exceptione reſpectu virtutum ſtyli.

§. 1016.

Prima, me judice, perſpicuitatis habenda ratio eſt, ut neque graviſſima, neque efficaciſſi- ma, neque elegantiſſima oratio magni facien- da ſit, ſi conſtructionis perplexitate, verborum ambiguitate, periodorum nimis productarum, quibus prima cum ultimis conferre mens pro- hibetur, longiore tractu, obſcurior fiat. perſpicuitas exceptioni non obnoxia.

§. 1017.

Poſt hanc virtutem, duæ potiſſimum de loci ſecundi prærogativa contendunt. Efficacia, in excitandis affectibus, gravitas, loquacitati oppoſita, in ſuppeditandis rerum ponderibus argumentisque. poſt hanc gravitas & efficacia certant

§. 1018.

Utramque ſi adhibere poſſis, nulla exſiſtit collißio, ideoque nec conſilio opus eſt. Quid ſi utraque ſimul adhiberi nequeat? non ubi utrique locus

§. 1019.

quid decidat? auditores ſive teneri animi

Auditorum indoles tum decidat. Cum ſexu ſequiore, ſi verbis agendum ſit, ſeu cum hominibus, animi teneri, mollis, flexilis non difficulter in omnem partem: omnem vim in commovendis affectibus effundi neceſſe eſt. Non opus erit *demonſtrationibus* ſed excitandi *artificiis*: non *gravitate* ſententiarum, ſed *verbis volucribus* & incitatis: non *acumine*, ſed *coloribus*.

§. 1020.

ſive gravis & conſtantis

Verum enim vero ad virorum, matura prudentia conſpicuorum, animos, longe alia via patet. Ponderant illi res ipſas, non ſuperficiem extimam, verborum picturis ſuperbientem: aguntur judicio deliberato mentis, non motu animi ſubitaneo: innituntur argumentorum inconcuſſis fulcris, non lubrico troporum, figurarumque tantum lumina, repercutienti ſpeculo.

§. 1021.

elegantia orationis in verbis,

Orationis efficaciam & gravitatem pone ſequitur dictionis nitor ac elegantia. Sæpe enim oratio affectuum plena, ſed non admodum terſa ac nitida eſt. Præſtat tamen affectibus ciendis fecundam, quam tantum verborum ac dictionis venuſtate excultam eſſe.

§. 1022.

quæ virtus in colliſione alteri præponenda?

Reliqua omnia, quæ parumper fieri difficilia diximus, §. 990. 991. ſeqq. expedite judicabit, qui auditorum potiſſimam habebit rationem, ut cum triſtibus, oratione ſeria, cum lætis, comta & ſuavi, cum principibus, dignitatis, prudentiæ

dentiæ & majeſtatis plena, cum hominibus medii ordinis, varia & multiplici, cum ambitioſis, modeſta, cum humanitatis amatoribus, puriſſima, cum liberis ſeculi præſentis imitatoribus, propria & non affectata, &, ſi in uno cœtu hujus generis omnes ſunt, ad plerorumque ſeu præcipuorum indolem accommodata, ſibi agendum cenſeat.

§. 1023.

Ita exſiſtit dicendi generis, cum auditorum affectu & ſtudio, ſymmetria, in ſymmetria perfectio, in perfectione, voluptas, in voluptate ornatus, in ornatu denique eloquentia: quam utique ſapientiam ornate loquentem eſſe, frequentius monui. & quo effectu?

§. 1024.

Explicatis igitur pleriſque ornatûs in loquendo virtutibus, perſpicuitate §. 922. ſeqq. prudentiâ §. 939. dignitate §. 960. ſeu potius decoro, nitore vel elegantia §. 1021. nec non harum *virtutum* non ubique *conciliandarum* difficultate §. 976. ſeqq. ſupereſt, ut de orationis efficacia, cui eloquentia inprimis deſervire volet, nonnihil adjiciamus. nunc agendum de efficacia orationis.

§. 1025.

Efficacia eloquentiæ in arte excitandorum affectuum poſita eſſe intelligitur: quam, ſi dubites, rectene an ſecus, à communi ornatus virtute derivaverimus: ſequentia velim ad animum revoces. quæ ſit?

§. 1026.

Ornatûs nomine id appellatur omne, quod affectus

poſſe, ad ornatum pertinet. ſive animum, ſive ſenſus oblectat §. 875 : jam vero, qui artem movendi affectus poſſidet, & exercet, animos inprimis voluptate permulcere poteſt ; quis eum ergo neget dicere ornatius?

§. 1027.

quia affectus delectant Delectare illum, qui affectus in auditore cieat, ſive lætos, ſive triſtes, præterquam quod ſupra ſuo loco diximus, jam vero quoque ex ſequentibus ibimus probatum.

§. 1028.

affectus omnes delectare, probatur. Carteſii teſtimonio Carteſius de paſſion. part. ſecund. p. 34. num. 44. edit. 1692. in hanc rem ita diſſerit: *eadem ferè ratio eſt, propter quam naturaliter volupe eſt ſentire, ſe commoveri ad omnes ſpecies paſſionum* IMO AD TRISTITIAM, & odium, quando non aliunde orti ſunt illi affe*ctus, quàm à variis eventibus, qui in theatris exhibentur, aut ab aliis ſimilibus ſubjectis, quæ cum nobis nullo modo nocere poſſint, videntur titillare noſtram animam eam tangendo.*

§. 1029.

explicatur pluribus In omni igitur affectu, cùm anima titillatione quadam afficiatur, etiamſi eam triſtitia percelli contingat; in ipſo enim mœrore quoddam rei amiſſæ ſolatium quæritur : conſequitur, ut nullus oriri motus animi poſſit, quin aliquid habeat oblectationis.

§. 1030.

oratori hic ornatus propoſitus eſto Cui igitur oratori hoc divinitus datum eſt, ut in animos influere, eosdemque ſermonis ſui vento, undarum ad inſtar, excitare poſſit: eum quoque voluptatem auditoribus afferre, ideoque vim ornate loquentis conſequi, neceſſe eſt.

§. 1031.

§. 1031.

Excitandi autem affectus ſunt TROPORUM AC FIGURARUM SPIRAMENTIS : quæ quo menti accommodatius afflare ſolent, eo dulcior etiam animi cooritur motus. tropi & figuræ cient affectus & oblectant,

§. 1032.

Quoniam vero affectus à tropis & figuris non ſine quadam delectatione gignuntur : oportet tropos & figuras quandam ſymmetriam habere, cui illa, quam pariunt, animi voluptas, originem debeat ſuam. ergo habent quandam ſymmetriam

§. 1033.

Ad naturam troporum ac figurarum qui adtendere cupit curatius ; facile ſentiet, in illis latere quandam ſymmetriam. non difficilis probatio.

§. 1034.

Tria maxime in oratoria arte concurrunt : PERSONÆ, RES, VERBA : quorum inter ſe mutua harmonia, tropi & figuræ, affectibus excitandis capaces, exſiſtunt. ſymmetria latet in his tribus

§. 1035.

Quando tria nobis obverſantur, tum ea, per combinationis regulam, ſexies transponi poſſunt, ita tamen ut in eodem occurrant ordine nonniſi termini bini. tria ſex modis transponi poſſunt.

§. 1036.

Cogitentur ergo tria hæc, **verba**, **res**, **perſonæ**, quæ in omni occurrere eloquentia debent : tum ea, ſex variantibus modis, combinari poſſe ſentiemus. idem evenit his tribus.

§. 1037.

Habeant *primo* verba ſymmetriam cum re- prima combi-

natio unde ſtyli decorum bus, ponanturque in eodem ordine, ut alterum alteri conveniat; tum illa ſtyli virtus exſiſtet, quam ſupra decori *nomine inſignivimus* §.*916*, *963*. ſeqq.

§. 1038.

ſecunda combinatio unde oratoris prudentia Jubeantur ſecundo **res perſonis** in hoc tempore & loco reſpondere; (nulla enim perſona finita exſiſtit, niſi loco & tempore certo) tum **prudentia orationis** elucebit, de qua dixi §.*917*. & plenius §.*939*. ſequentibusque.

§. 1039.

tertia ambinatio unde in oratorem favor *Tertio* perſonas perſonis *aggrega*, ut in illis ſit quædam animorum harmonia, tum **favor audientium** *in oratorem* animo obverſabitur tuo, de quo præcipere nihil attinet: cum captatione potiſſimum benevolentiæ contineatur, aut impetretur, quæ aliis regulis non abſolvitur, ac reliqua omnia.

§. 1040.

favor optimus interpres Si tamen audientium favor oratori adſpiret, antequam verba faciat; certum eſt, eum optimo interprete uti: **non enim interpres melior eſt alter, quam favor.** *Es ligt nicht am ſchön geigen, ſondern am gern hören.*

§. 1041.

tres priores combinationes aliarum virtutum ſermonis fundamenta, Tribus igitur tranſpoſitionibus ad aliarum orationis virtutum fundamenta pertinentibus: tres adhuc poſſibles combinandi rationes relinquuntur, quibus tropi ac figuræ, indeque ciendi affectus, ideoque ſermonis efficacia, gigni ſolet.

§. 1042.

§. 1042.

Reſpondeant certo ordine verba verbis, tunc figuræ dictionis coorientur, de quibus mox plura. quarta combinatio, unde figuræ dictionis

§. 1043.

Conveniant verba perſonæ *dicentis*, tum naſcentur figuræ ſententiæ, quas & ipſas paulo uberius explicabimus. quinta combinatio, unde figuræ ſententiæ

§. 1044.

Oſtendatur verbis ſymmetria quædam *inter* rem & rem, tum tropos *videre licebit* prodeuntes. ſexta, unde tropi

§. 1045.

A quibus quidem enarrandis faciemus initium. Quatuor eſſe tropos, vel tyronibus in trivio inculcari ſolet. initium à tropis

§. 1046.

Id autem præcipue commemorari meretur, etiamſi tropi definiantur per *venuſtam vocis, à propria ſignificatione ad alienam, translationem*: tamen vim ejus omnem in eo poſitam, ut uno vocabulo plurium rerum mutuæ affectiones & ſymmetriæ ſignificentur. tropi rerum quandam ſymmetriam denotant

§. 1047.

Teſtem adpello ſummum virum, Gerh. Joh. Voſſium in inſtitut: orator. L. VI. cap. 10. p. 163. edit. Lugd. Bat. 1643. ubi in hanc ſententiam pronuntiat: teſtis eſt Voſſius

§. 1048.

Tot ſunt primarii tropi, quot ſunt rerum mutuæ affectiones. At res vel conjunctæ ſunt vel tropi & rerum mutua af-

fectione oriundi *vel disjunctæ. Conjunctæ vel eſſentialiter cõhærent, vel accidentaliter.*

§. 1049.

quomodò? *Eſſentialiter : ut totum & pars : accidentaliter : ut cauſſa externa, effectum, ſubjectum & adjunctum,*

§. 1050.

quomodo? *Disjunctæ vel amice conſpirant, ut ſimilia; vel repugnant ut contraria.*

§. 1051.

quinam tropi? *A primo genere* §. 1049. *eſt ſynecdoche, ab altero* §. citat. *metonymia, à tertio* 1050. §. ſimilia, fundamentum *metaphoræ, à quarto ironia.*

§. 1052.

probatur per metonymiæ Metonymia nexum rerum inter ſe denotat, quo ſe mutuo reſpiciunt, ut cauſſa & effectus, ut ſubjectum & adjunctum. Atqui ſi uno vocabulo ejusmodi rerum plurium ſymmetria menti offeratur, id habet aliquid jucunditatis, per ea, quæ §. 904. annotata ſunt.

§. 1053.

exempla *Terra erat unius* labii Geneſ. 2. v. 1. vox labii & partem oris extimam, plerumque rubentem, & ejusdem cum ſermone formando nexum indigitat. Itaque vox audita hoc ſenſu delectat.

§. 1054.

exempla *Sylveſtrem tenui Muſam meditaris avena,* Virgilii verſus eſt, in quo *avena* vocabulum & tibiam notat, qua ille cecinit, & materiam, ex qua fabrefactam fuiſſe novimus. Eſt igitur in

una voce plurium rerum ſignificata mutua ſcheſis : ideoque delectat.

§. 1055.

exempla

Proximus ardet Ucalegon, nomen hoc proprium & domum & poſſeſſorem notat, & jus quod huic in illam competiit. Eſt igitur una voce rerum binio, earundemque nexus moralis indicatus : quod non eſſe jucundum non poteſt. Sic de cæteris omnibus Metonymiæ ſpeciebus ſentiendum eſt.

§. 1056.

per exempl. ſynecdoches

Synecdoche partium & totius ſymmetriam exprimit. *Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet* ; verba Virgilii ſunt, in quibus vox *parietis*, terminos ædificiorum, ſeu conclavium in illis, igne corripi non poſſe indigitat, niſi toti ſtructuræ immineat periculum. Partis igitur ac totius nexu indicato, mentem jucunde affici intelligimus.

§. 1057.

de metaphora

De metaphora vero, quid dicam, quæ tota in eo eſt, ut rerum diverſi generis, hinc conſpicuarum, ſeu in oculos aureſque incurrentium, illinc non conſpicuarum, nec niſi animo intelligendarum ; hinc regni naturæ, illinc regni gratiæ, convenientiam, proportionem, & harmoniam, menti repræſentet?

§. 1058.

Ita dicendi flumen ſi audias : duo rerum ge- exempla

nera

ejus omnia ſymmetriam oſtendunt. nera inter ſe vides comparata, hinc regnum literarum, illinc regnum naturæ: ſimulque intelligis, quæ aquarum in amne manantium natura ſit, eandem & eſſe orationis, quæ & rerum verborumque ubertate, & facilitate curſus minime pronuntiando impediti, ſingularis exſiſtat

§. 1059.

inde delectatio Rerum ergo plurium venuſta convenientia, ac velut ſymmetria, quum uno menti vocabulo ſiſtitur; cogitatione illius harmoniæ animus non oblectari non poteſt.

§. 1060.

exemplum. *Orationis aculeos* qui adpellat, quid aliud habet propoſitum, quam ut inter res diverſi generis, alteras ſenſui tantum, alteras intellectui duntaxat obvias, ſymmetriam quandam invenire, declaret?

§. 1061.

declaratur Ut enim aculeos v. g. ferreos, corpori animalium adhibitos, dolorem parere novimus, pro menſura temporis ac motûs, quo aculei admoventur, majorem minoremve: ſic, eadem proportione, quæ in oratione audienti moleſta ſunt, pro magnitudine aut duratione offenſionis, animum velut pungunt, ideoque rerum pariter conſpicuarum & non conſpicuarum indicant ſymmetriam, quæ adtendentibus non poteſt non eſſe voluptati.

§. 1062.

idem obtinet in omni allegoria &c. Similis omnium metaphorarum, allegoriarum, troporumque ejusdem generis, ratio eſt, atque natura. RES REBUS VELUT COMMENSU

MENSURAMUS, & in utrarumque ſymmetria animum jucunde ſentimus affici.

§. 1063.

Non eſt, cur hic ironiam excipias, quæ eſt *tropus à contrario ad contrarium*, ex quo nullam ſymmetriæ rerum plurium, ſpeciem elucentem, prima fonte ſuſpiceris: nam & ea quàm maxime juvat noſſe, quæ communem menſuram non habent, & ea ſcire, delectat, quæ infeſtis cornibus pugnant. an & ironia ſymmetriam indicet?

§. 1064.

Quid? quod contrarium ejus, quod verba ſonant, ſignificaturi, malitiam, ſeu ſtultitiam velut ulciſcamur. Verbis enim contrariis illi rei, quam exprimere volumus, efficitur, ut auditor ſentiat, ſe non habere, nec eſſe, quem ſe eſſe, aut quæ habere putat. probatur ſententia affirmans

§. 1065.

In eo autem eſſe voluptatis non minimam cauſſam, tota natura rationalis, clamat magis quam loquitur. uberius

§. 1066.

Per malitiam & ſtultitiam, cui caſtigandæ ironia inventa eſt, omnium rerum, quæ eſt perfectiſſima, ſymmetria, pauliſper turbatur: cujus autem facta per ultionem reſtitutio non minus jucunda eſſe debet: quàm in muſica diſſonantium aliquamdiu vocum concurſus, ſubſtituto repente dulci ſonorum concentu, velut expiratur: quod animos & aures plus demulcet, quam ullis exprimi verbis poteſt. & corroboratur

§. 1067.

§. 1067.

Argumento latius patente

Hæc cauſſa adeo late patet, ut graviſſimæ doctrinæ in theologia, ſatisfactionis videlicet, inconcuſſum fundamentum ſit. Reſtituendus eſt, inflictis pœnis, incomparabilis rerum ordo, qui per peccata turbatus eſt: eademque reſtitutio omni in cœlo terraque rationali naturæ exquiſitiſſimam voluptatem affert Apocal. 18. v. 20.

§. 1068.

ad doctrinam de ſatisfactione

Quemadmodum vero per peccata, non homines tantum, ſed & cœli incolæ offenduntur; ut ex ſimili patet, Matth. 18. v. 31. & ex contrario Luc. 15. v. 10. & exemplo ſingulari 1. Cor. 11. v. 10. ita peccata ſine ſatisfactione condonare, eſſet remittere MALORUM injurias, ſed una jura BONORUM, quibus ex pœna, triſtitiæ expiatio, & voluptas debetur, VIOLARE.

§. 1069.

breviter notatam

Paucis plurima ſic fui complexus, pro iis, qui meditari ſive poterunt, ſive non dedignabuntur.

§. 1070.

Figuræ dictionis in verborum locatione

Sed ad propoſitum redeundum eſt. Figuræ, quas vocant, dictionis, in ipſa verborum collocatione, ordinem, ideoque delectationis materiam, oſtendunt.

§. 1071.

probatur

Figuræ dictionis certo ordine *repetunt* aut voces easdem, aut ſimiles. Similes voces vel ponuntur ordine continuo, vel intervallis interpoſitis, diſtincto.

§. 1072.

§. 1072.

Epizevxis in eadem ſententia voces easdem, continuo ordine repetit : *Land, Land, Land*! *Höre des Herrn wort.* Epizevxis

§. 1073.

Anadiploſis easdem voces continuo ordine iterat, ſed id ſententia diverſa. *Hic tamen vivit, vivit? imo vero in ſenatum venit.* Anadiploſis

§. 1074.

Climax easdem voces, continuo ordine locat, ſed ſenſu per gradus aſcendente. *Calamitas patientiam gignit; patientia experientiam, experientia ſpem, ſpes autem non confundit* Rom. 5. v. 3. 4. Climax

§. 1075.

Similes voces autem, locatæ ordine, per intervalla diſtincto, ſequentes dictionis figuras formant : quarum prima eſt **anaphora**, qua vox eadem aliquot ſententias incipit : *æquo fertis animo, ſi quis vos conſumit, ſiquis vobis eripit, ſi quis vobis inſultat, ſiquis vobis verbera infligit.* 2. Cor. 11. v. 20. Anaphora

§. 1076.

Epiſtrophe iisdem vocibus aliquot ſententias claudit. Citabo quædam ex Plauto verba, non tam exempli cauſſa, quam ejus argumenti ergo, quod continent in Trinumm. Act. 1. ſcen. 2. verſ. 168. ſeq. p. 1315. edit. Taubm. Epiſtrophe

Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quidquam ſciunt

Quod quisquam in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt

Sciunt

Sciunt id, quod in aurem rex regina dixerit:
Sciunt quod Juno fabulata eſt cum Jove:
Quæ neque futura neque facta ſunt illi ſciunt
Falſôn an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt; dum illud, quod lubeat, ſciant

Illuſtre exemplum Martialis habet, L. II. epigr. 17. ſecundum alias edit. epigr. 18. p. 199. edit. Matth. Rader:

Capto tuam, patet heu! ſed capto, Maxime! cœnam:
Tu captas aliam, *jam ſumus ergo pares.*
Mane ſalutatum venio: tu diceris iſſe
Ante ſalutatum: *jam ſumus ergo pares*
Se d comes ipſe tuus, tumidique antambulo regis
Tu comes alterius; *jam ſumus ergo pares.*

§. 1077.

Symploce. Symploce iisdem vocibus easdem ſententias incipit & claudit: cujus exemplum eſt apud Ciceronem L. IV. ad Herenn. p. 26. col. a. edit. Schrev: *Qui ſunt, qui federa ſæpe ruperunt? Karthaginenſes: qui ſunt, qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Karthaginenſes.: qui ſunt, qui Italiam deformaverunt? Karthaginenſes: qui ſunt, qui ſibi poſtulant ignoſci? Karthaginenſes.*

§. 1078.

exemplum aliud. Eodem loco & hoc Tullius exemplum præbet: *quem ſenatus damnârit, quem populus romanus damnârit, quem omnium exiſtimatio damnârit, eum vos ſententiis veſtris abſolvetis?*

§. 1079.

§. 1079.

Epanodos easdem voces repetit, ſed ordi- epanodos
ne inverſo, uti Cicero de offic. L. II. cap. 20. §. 5. *pecuniam qui habet, non reddidit, qui reddidit, non habet: gratiam autem, & qui retulit, habet, & qui habet, retulit.*

§. 1080.

Ovidius Libr. II. amor. eleg. 19. p. 329. exempla
330. edit. Jac. Micyll. *quod ſequitur fugio, quod fugit ipſe ſequor.* Item in epiſtola Helenæ ad Paridem p. 156. edit. cit.

At tu diſſimula, niſi tu deſiſtere mavis.
Sed cur deſiſtas? diſſimulare potes.

Apud Auſon. in epitaph. heroum, p. 184. num. XXX. edit. Burdigal. per Eliam Vinet:

Infelix Dido, nulli bene nupta marito
Hoc pereunte, fugis: hoc fugiente peris.

§. 1081.

Antanaclaſis idem verbum repetit, ſed antanaclaſis
diverſa ſignificatione: quod perinde delectat, ac ſi eodem cortice diverſi clauderentur nuclei.

§. 1082.

Eò pertinet illud Suetonii de Nerone cap. 39. exempla
p. 221. edit. Boxhorn.

Quis negat Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem: ſuſtulit ille patrem

vel illud Plauti in milite glorioſ. Act. I. ſcen. 1. verſ. 4.

Oculorum præſtringat aciem in acie *hoſtibus.*

§. 1083.

Polyptoton eſt ejusdem vocis in diverſis polyptoton
caſibus

caſibus repetitio : cujus generis exempla dantur innumera.

§. 1084.

paronomaſia Sed & in adhibitis ſimilibus vocabulis, ut dixi, §. 1071. & eorum ordine, delectatio ineſt. Paronomaſia, quæ litteræ, aut ſyllabæ alicujus mutatione ſignificationem mutat, hujus potiſſimum loci eſt.

§. 1085.

exempla Ejus exemplum inter alia legitur apud Terent. in heavtont. Act. II. ſcen. 2. verſ. 115.

Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.

Et Claudianus in epigrammate de ſene Veronenſi p. 245. edit. Amſtelod. 1677.

Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

§. 1086.

homœoptoton Homœoptoton eſt ſimilium vocum, eodem caſuum ſono, repetitio: quæ frequentiſſima eſt, nec exemplis indiget.

§. 1087.

homœotelevton Homœotelevton denique, eſt cum verba vel aliæ particulæ inflexibiles ſono ſimili deſinunt.

§. 1088.

in his eſt ſonorum ſymmetria Eſt igitur in his vocibus ſonorum quædam ſymmetria, quæ ſimilitudine toni aures blande affectas delectat.

§. 1089.

de figuris ſententiæ Sed quid de figuris ſententiæ habendum? Indicant ſane, quod affectus dicentis cum oratione conſentiat, §. 1043. ideoque denuo declarant

rant quandam ſymmetriam, materiam delectationis.

§. 1090.

Nulla ſententiæ figura eſt, quæ non ſingularem animi commoti niſum arguat, ideoque vivo oratoris exemplo repræſentet, quod verba, utpote rerum tantummodo ſigna, præſtare per ſe ſola non poſſunt. ſymmetriam affectûs & verborum innuunt.

§. 1091.

Quouſque hæc ratiocinatio ſana ſit: *hunc oratorem affectu, de rebus, quas dicit, commotum video: loquitur itaque credibilia*, diximus de eloquentia corporis §: 158. nunc id tantum nobis negotii datum exiſtimamus, ut commonſtremus, qua ratione figuræ ſententiæ affectum ſignificent? quamvis ideo res non ſit ſemper credibilis

§. 1092.

Interrogatio primum locum occupat, quæ ſane magnam dicentis pro ſua cauſſa fiduciam arguit, non dubitantis, quia ſe de aſſenſu auditorum eſſe certiſſimum declarat, illos ipſos, quærendo, adhibere judices. interrogatio

§. 1093.

Fiducia autem eſt ſpei, tanquam affectus ſuavioris, gradus excelſior: quem, qui hac figura utitur, videtur conſcendiſſe. cur affectum ſignificet?

§. 1094.

Exclamatio quid aliud eſt, quam animi vehementius commoti indicium: clamant enim voce intenſa, quos vel fortunæ adverſæ vel ſecundæ caſus gravior, tetigit. cur exclamatio?

§. 1095.

cur parrheſia? Parrheſia, i. e. magna in monendo aut objurgando licentia, non utitur, niſi cujus animi vires admodum accenſæ ſint, ut exemplo, parentum, magiſtrorum, aut ſuperiorum quorumlibet, in ſuos gravi zelo exardeſcentium, facile quisque cognoſcit.

§. 1096.

epanorthoſis Epanorthoſis, quæ corrigit quod dictum eſt, & magis idoneum ſupponit: ſubitanei in animo motûs, qui præſentem compeſcit, index eſt.

§. 1097.

cur arguat affectum? Ut autem viſu perjucundum eſt, leni eteſiarum adſpirantium motu, in limpida aqua undis undas frangi & opprimi; novis ſubinde exſurgentibus, quæ priores fluctuando vincant: ſic ſane non mediocriter delectat, oratorem dicendo quaſi longius provectum, à ſe ipſo repente corrigi, id quod ſubitaneorum adtendentis animi motuum niſus, tanquam fulgura commonſtrat, errorum nubeculas disjicientia.

§. 1098.

apoſiopeſis Apoſiopeſis, quæ ſententiæ incoatæ curſum, ita inhibet, ut reliquum ejus audientium relinquatur judicio, ſummi motûs, qui verba interrumpere ſolet, argumentum eſt.

§. 1099.

occurritur dubio Sunt quidem, qui Apoſiopeſin non ſemper affectûs indicium putant, exiſtimantes, eam tum adhiberi, *cum, quod taceatur, adhuc incertum ſit, vel longiore ſermone explicandum:* ſed id ipſum auditorum reliqua ſcire cupientium

aviditatem

aviditatem eludendo accendit, aut ſaltem oratoris, omnia incerta & prolixiora reſecandi ardorem, indicat: quod niſi illa figura præſtaret, non eſſet earum numero adſcribenda, quæ affectibus inſerviunt.

§. 1100.

Utut eſt: nobis probaſſe ſufficit, delectare figuram omnem, ideoque afferre orationi ornatum, ſive id fiat affectuum motu, ſive alia quadam verborum rebus adæquandorum ſymmetria. reſpoofio continuaata

§. 1101.

Exemplum apoſiopeſeos nobis Silius Italicus non incomodum præbet. Libr. VII. verſ. 246. ſeq. exemplum apoſiopeſeos

- - - - - - - quantum
Detritum eſt famæ? quin inter cætera noſtra
Haud laude abfuerit, modo qui: ſed parcere
Dictis ſit melius &c.

ſingularia apoſiopeſeos exempla vid. Joh. 12. v. 27. Rom. 9. v. 6. quæ non omnes facile animadvertunt.

§. 1120.

Apoſtrophe, quâ oratio ad aliam perſonam vel rem convertitur, quam inſtitutum videbatur, ſive *ad* DEum, ſive ad **homines**, ſive ad **bruta**, ſive ad **res inanimatas**, detectâ inopinatâ orationis cum rebus, quæ ab inſtituto remotiores videntur, connexione, utique delectat. apôſtrophe

§. 1103.

Sermocinatio, quæ perſonæ affingit ſermonem, ipſius moribus & inſtituto convenientem, dici vix poteſt, quantum jucunditatis pariat: quæ præcipua comicorum virtus eſſe debet. ſermocinatio

§. 1104.

judicium Ciceronis in hanc rem.

Præclare in hanc rem, ſuo more, Tullius: *tum ſervare decorum pöetas dicimus, cum id quod quaque perſona dignum eſt, & ſit & dicitur.*

§. 1105.

Ut ſi Æacus aut Minos diceret:

Oderint, dum metuant: aut:

Natis ſepulcro ipſe eſt parens

indecorum videretur: quod eos fuiſſe juſtos accepimus. At, Atreo dicente, plauſus excitantur: eſt enim digna perſona oratio.

§. 1106.

judicium noſtrum

Eſt iterum hic verborum rerumque contemperatio, quæ ſua ſymmetria non placere non poteſt.

§. 1107.

proſopopœia cur placeat?

Proſopopœia, quæ res vel inanimes, vel homines mortuos loquentes facit, quoniam rem effingit prorſus inſolitam, qualem admirari ſolemus ſemper, & affectum in oratore arguit, & in auditoribus accendere poteſt.

§. 1108.

addubitatio cur delectet?

Addubitatio oratoris, de ſumma rei gravitate, opinionem, quâ temere judicare vetatur, declarat, eamque ob cauſſam, tacito motu, i.e. facto dicentis ipſo, auditoribus ingenerat ſimiles ideas.

§. 1109.

paradoxon cur jucundum?

Et cum omne inſolitum, admirationem cieat; tum & paradoxon, quo quid contra opinionem accidiſſe ſignificamus, ejusdem efficaciæ eſt.

§. 1110.

§. 1110.

Omittam hîc figuras probationi, & amplificationi inſervientes: quarum illa ſcientiæ & veritatis, de quibus ſupra dixi, mater eſſe debet: hæc non tam ad ornatum, quam ad ſermonis amplitudinem pertinet. *de figuris probationis & amplificationis non h. l. agendum*

§. 1111.

Ita tandem, quid ſit ORNATE loqui, poſtquam varias ejus virtutes, perſpicuitatem, decorum, elegantiam, & efficaciam in affectibus excitandis, expoſuimus, pro inſtituto ſatis intelligitur. *quibus igitur contineatur ornatus,*

§. 1112.

Omnia eo referuntur, ut placeas, placere ſine ſymmetria, perſonarum, rerum, verborum, non potes, ſymmetriam autem hanc obſervare, eſt perſpicuitate, decoro, elegantia, efficacia orationis, ſemet exhibere commendabilem. *per ſymmetriam audienti placendum*

§. 1113.

Quidquid delectat, ornatus eſt §. 876. Cùm vero non ſolum audientium animi, ſed & ſenſus, oculi, aures, delectari poſſint, ac debeant, teſte experientia: conſequitur, ut orator, externo quoque corporis habitu, qui in auditorum ſenſus incurrit, ornatum ſectari debeat, in eorum oculis, & auribus. *hactenus quid animo, nunc quid ſenſibus placeat?*

§. 1114.

Hoc eſt illud fundamentum, cui univerſa corporis eloquentia ſuperſtructa eſt: de qua, quemadmodum ſuprà ex inſtituto egimus: ita *fundamentum cui ſuperſtruitur eloquen-*

tia corporis. hic ſufficiat, ejus rei rationem ultimam obiter tetigiſſe.

§. 1115.

aures & oculi demulceantur Pauca tamen hæc addam: placere orator ſtudeat audientium auribus, placere & eorundem oculis.

§. 1116.

inde actio oratoria Huc omnia actionis oratoriæ præcepta redeunt: & ex hoc fine ſunt omnino æſtimanda.

§. 1117.

Ciceronis conſilium Summus orator Cicero, quid auditorum auribus placeat, verbis tradit ſequentibus, in offic. Libr. I. cap. 37. §. 5 *ſed cum orationis indicem vocem habeamus, in voce autem duo ſequamur, ut clara ſit, ut ſuavis: utramque à natura petendum eſt: verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio preſſe loquentium, & leniter.*

§. 1118.

qualis eſſe vox debeat? Reliqua verba, quæ huc pertinent, ſupra citavimus: *ſonus ſit dulcis, littera neque expreſſa neque oppreſſa, ne aut obſcurum eſſet aut putidum. Sine contentione vox languens, nec canora. Man muß wol, deutlich, und nicht allzuderb ausſprechen: daß es nicht auff einer Seit zu leinß und unverſtändlich, auff der andern durch allzubreite Ausſprach, unangenehm und widrig herauskomme.*

§. 1119.

& oculis placendum Sed & oculos audientium commoda orator actione demulcet: cujus rei illuſtre exemplum memoriæ mandavit Valer. Max. L. VIII. cap. 10. num. 2.

§. 1120.

§. 1120.

Q. autem Hortenſius, inquit, *plurimum in corporis decoro motu repoſitum credens, pene plus ſtudii in eodem elaborando, quam in ipſa eloquentia affectanda impendit.* exempla eorum, qui id ſunt maxime conſecuti.

§. 1121.

Itaque neſcires utrum cupidius ad audiendum eum, an adſpectandum concurreretur: ſic verbis oratoriis adſpectus, & rurſus adſpectui verba ſerviebant. Itaque conſtat Æſopum & Roſcium ludicræ artis peritiſſimos viros, illo cauſſas agente, in corona frequenter adſtitiſſe; ut foro petitos geſtus in ſcenam referrent. continuata

§. 1122.

Qui de hoc ornatu, quem auditorum ſenſus depoſcunt, plura legere non dedignatur: is, quæ de corporis eloquentia tradidimus, haud gravate evolvat. plura de corporis eloquentia diximus ſupra.

§. 1123.

Tandem breviſſimis, de ultimo in eloquentiæ idea vocabulo, differendum eſt. Adpellavimus, quod eloquentiæ præconio inſignitur, talem ſapientiam, quæ ornate loquatur. Quid ſapientia, quid ornatus ſit? explicatum eſt: reſtat ut de loquendi facultate nonnihil ſubjungamus. de facultate loquendi paucis

§. 1124.

Sonus quid ſit, experiundo cognoſcimus: in quo ſi certæ differentiæ exſiſtunt, vocatur articulatus. quid ſonus articulatus?

§. 1125.

Vocabulum eſt ſonus articulatus, qui vel noſtras quid vocabulum?

ſtras ideas, vel res, quas illæ repræſentant ſignat.

§. 1125.

facultas loquendi quid?

Facultas ejusmodi vocabula ore pronuntiandi, ut animi ſenſa declaremus, dicitur facultas loquendi.

§. 1126.

qui vult loqui vult intelligi.

Qui igitur vult loqui, idem & animi ſenſa promere velle judicatur. Qui vero animi vult ſenſa cum aliis communicare, is & vult intelligi. Quare Xenophontis *de re equeſtri*, lat. p. 404. edit. Henr. Steph. 1581. col. c. ſcitum effatum eſt, quod pag. græc. 552. ita habet, *ἄνθρωπος μὲν ἂν ἄνθρωπον θεοὶ ἔδοσαν λόγῳ διδάσκειν ἃ δεῖ ποιεῖν. Ac Dii quidem hoc conceſſere hominibus, alios ut doceant oratione, quo facto opus ſit.*

§. 1127.

loquatur lingua cognita.

Neminem intelligimus, niſi lingua nobis nota loquentem, 1. Cor. 14. v. 16. oratoris igitur eſt eâ linguâ uti, quam callent auditores.

§. 1128.

Themiſtocles id ſibi habuit commendatum

Themiſtoclem, ut ſine interprete agere poſſet, ob eam cauſſam, perſicæ linguæ operam navaſſe, accepimus. Sic enim Plutarch. in apophtegm. p. 185. T. II. edit. Xyl. litt. E. *ᾐτήσατο δὲ καὶ χρόνον ὅπως τὴν περσικὴν διάλεκτον καταμαθὼν ὡς βούλεται, καὶ μὴ δι' ἑτέρου ποιήσαι τὴν πρὸς αὐτὸν ἔνδειξιν.*

§. 1129.

verba Plutarchi latina.

Petiitque tempus ſibi dari, dum perſicam linguam addiſceret, ut ſuo arbitrio, ſuis ipſius verbis,

verbis, non per interpretem, regi ſuam poſſet explicare ſententiam.

§. 1130.

Lingua uti nulla licet, ſine regulis grammatices, quibus continetur: eſt ergo & harum habenda ratio. Sane Quinctil. L. I. inſtitut. cap. 4. p. 24. edit. Obrecht. hanc ſententiam tulit: grammatica opus eſt

§. 1131.

Ne quis igitur tanquam parva faſtidiat grammatices fundamenta, non quia magnæ ſit operæ, conſonantes à vocalibus diſcernere, ipſasque eas in ſemi vocalium numerum, mutarumque partiri: ſed quia interiora velut ſacri hujus adeuntibus, apparebit, multa rerum ſubtilitas, quæ non modo acuere ingenia puerilia, ſed exercere altiſſimam quoque eruditionem ac ſcientiam poſſit. teſtimonium Quinctiliani

§. 1132.

Qui loquitur, vult intelligi, §. 1126. præter regulas grammatices igitur, det operam, ut abſtineat à vocibus, ambiguis, obſcuris, ſenſu vacuis; itemque à phraſibus, aut ſtructuris, quæ ſunt ex genere eodem. abſtinendum à vocibus, phraſibus ſtructuris ambiguis &c

§. 1133.

Sæpe tamen in oratione verba adhibenda, quæ tametſi determinato notionum diſtinctarum ſignificatu deſtituuntur; pro vocibus nihili tamen habenda non ſunt: quibus quippe auditis, ſaltim affectus vivacior in auditorum animo naſcitur. ſæpe tamen verba affectu gignunt, etſi ſignificatum determinatum non habeant.

§. 1134.

Horatius L. I. od. 11. verſ. 6. 7. 8. hæc habet: probatur vina exemplo

- - - - Vina liques : & ſpatio brevi
Spem longam reſeces : dum loquimur fug
rit invida
Ætas carpe diem, quam minimum credu.
poſtero. §. 1135.

dubium Clerici Putat Clericus in arte critica P. II. ſect. cap. 16. p. 334. 335. hæc valde obſcura, ne ſatis ipſi auctori intellecta fuiſſe.

§. 1136.

diſertis verbis citatum. *At homini*, inquit, *brevi morituro, qui faciendum ut vitam rapiat, diem carpat, quid hæc audita voce in animo habuit?*

§. 1137.

verba non ideas diſtinctas, ſed affectum indicantia Nihil cogitaſſe illum putat vir celebris. Se ſufficit habuiſſe eum affectum, quo commovei ſolent, qui vehementer properant, etſi de diſtincto verborum ſignificatu, in tanto anim motuum turbine, cogitari non potuerit.

§. 1138.

frequentata oratoribus non ſine efficacia Hæc oratoriæ vis nonnunquam maxima eſſe ſolet: quæ affectu verba ſuperante, magis commovere audientes, quam intelligi poteſt. Quare etſi verba accuratius excuſſa ſignificatu determinato careant: tanto majore tamen efficacia motûs ad animum audientis adpellunt.

§. 1139.

exemplum ſcripturæ *Sagittas meas ſanguine inebriabo:* אשׁכיר חצי מדם Moſes ait, ſpiritu DEI, graviſſimas populi hebræi pœnas prævidente, quaſi extra ſe raptus. Devter. 32. v. 42.

§. 1140.

quod ad hanc nor- Si quis his verbis adhibere Clerici criſin velit; dixerit forte, ea obſcura eſſe, neç Moſen intel-

ntellexiſſe ipſum, quid ſignificaverit. Abſit verò huic ſententiæ ut accedamus. Nam etſi agittæ inebriari non poſſint, cruentari tamen oſſunt: &, quod potiſſimum eſt, qui ea legit, leniora affectûs, quàm determinati ſignificaus, eſſe judicat. mam judicandum.

§. 1141.

Jam vero, cùm oratoris ſit, ſeu poetæ, audientes commovere, ſæpe ea adhibet, quæ non am ad diſtinctos conceptus, quàm ad affectus iendos, accommodata ſunt. Summa autem accuratio in vocum ſenſu determinando uſurpata, animum tranquillum, & motibus vacuum oſtulat: & viciſſim qui percellere motu animos cupit, eum affectui magis, quam rigidæ riſi indulgere oportet. cur oratores ſæpe indigeant verbis, affectum non ideam diſtinctam ſignificantibus

§. 1142.

Si affectus vehementior in univerſum loquentium verba ſive turbat, ſive prorſus ſiſtit, ſecundum illud Senecæ Tragoed. in Hippolyt. verſ. 599. ſeq. edit. Amſterd. 1656. affectus ſermonem turbant:

Ph. *Sed ora cœptis tranſitum verbis negant*
Vis magna vocem emittit, at major tenet.
Vos teſtor omnes cœlites hoc quod volo.
Hip. *Animusne cupiens aliquid, effari nequit?*
Ph. Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent,

ſane mirum non eſt, eodem affectu protrudi vocabula plus ardoris, quam lucis habentia, magis raptum ſeu oratorium, ſeu poeticum, conſectarium pro oratore.

rede-

redolentia, quàm accuratum examen philoſophicum.

§. 1143.

& triſtes & læti efficiunt idnm

Neque vero aliter fieri poteſt. Nam & triſtiores & lætiores affectus eâdem potentes efficaciâ ſunt. Apud Valerium Flaccum Lib. I. argonaut. verſ. 257. ſeq. cum Achillem gnatum ſalutaret, ſtupuit præ gaudio: p. 8. edit. Burmann:

Ut puer ad notas erectum Pelea voces
Vidit, & ingenti tendentem brachia paſſu
Adſiluit, caraque diu cervice pependit.
Illum nec valido ſpumantia pocula Baccho
Sollicitant: veteri nec conſpicienda metallo
Signa tenent. STUPET IN DUCIBUS &

Contra Terentius in Andr. Act. II. ſcen. 1. verſ. 4

Ita, poſtquam ademta ſpes eſt, laſſus cura confectus ſtupet.

§. 1144.

nec tamen iis carendum quod & moveri & doceri auditores volunt.

Ratio rei ulterior eſt, quod homines non tantum doceri, quod fit vocabulis ideas diſtinctas ſignificantibus; ſed per ſermonem etiam commoveri velint, quod fit verbis qualibuscunque affectum exprimentibus.

§. 1145.

inſigne Cordemæi teſtimonium

Certe ſi res nobis eſſet, verba ſunt Cordemæi, de loquela pag. 86. edit. Genev. 1679. *cum hominibus errori tantum obnoxiis, non vero affectibus: ſatis eſſet res ordine dicere, clare exponere, ac probare, ut perſuaderentur: atque tum ſufficeret, partes cerebri bene diſpoſitas eſſe, atque eo temperamento, ut facile non commoverentur.*

§. 1146.

§. 1146.

Sed fere alloquimur homines, qui præter er-ores, adeo obnoxii ſunt affectibus, ut perſua-leri non poſſint, niſi æque habeamus, quod ad locendum atque commovendum requiritur: duo utem iſta pendent à duabus diſpoſitionibus deo contrariis, ut difficile ſit reperire ho-nines, quorum cerebrum in eo ſit tem-eramento, ut utramque dotem dare oſſit. continu-atum

§. 1147.

Non omnes & docendi & commovendi fa-ultate præditos, Tullius duorum oratorum xemplo illuſtri probat, de clar. oratoribus, ſeu ı Brut. p. 144. 145. edit. Schrevel. poſtquam onſules dixerat, de cæde quadam cogno-cenda mandaſſe, ejusdemqne inſimulatos pub-canos, innocentiæ patronum elegiſſe Lælium: um ita pergit: ſed u-trumque donum non om-nes poſſi-dent

§. 1148.

Cauſſam pro publicanis, accurate, ut ſemper olitus eſſet, eleganterque dixiſſe Lælium. Cum onſules re audita amplius de conſilii ſententiâ ronuntiaviſſent, paucis interpoſitis diebus ite-um Lælium multo diligentius, meliusque dixiſ-e: iterumque eodem modo à conſulibus rem eſſe rolatam. exemplo Lælii & Galbæ

§. 1149.

Tum Lælium, cum eum ſocii domum reduxiſ-ent: egiſſentque gratias, & , ne defatigaretur, raviſſent, locutum eſſe ita, ſe quæ feciſſet ho-oris eorum cauſſa, ſtudioſe, accurateque fe-iſſe: ſed ſe arbitrari, cauſſam aliam à Ser. Galba, Lælius accurati-or, Galba acrior, & gravior in dicen-do.

Galba, qrod is in dicendo ornatior acriorqu eſſet, gravius & vehementius poſſe defendi. Ita que auctoritate C. Lælii publicanos cauſſam de tuliſſe ad Galbam. §. 1150.

triumphavit Galba, ubi non potuit Lælius

Paucis deinde interjectis, ita pergit Cicero *Quid multa magna expectatione plurimis audi dientibus, corum ipſo Lælio ſit illam cauſſam tanta vi tantaque gravitate dixiſſe Galbam, u nulla fere pars orationis ſilentio præteriretur Itaque multis querelis, multaque miſeration adhibita, ſocios, omnibus adprobantibus, illa di. quæſtione liberatos eſſe.*

§. 1151.

itaque verba quandoque ex affectu metienda dicentis, non rigore philoſophico

Quæ cum ita habeant; verba metiamur fa eſt, non ſemper ex docendi ſcopo, ſed & e: illo fine, quem ſibi orator in commovendis au ditoribus propoſitum habet. Tum enim mult acrius & vehementius dicenda intelligemus quàm ut accuratæ meditationis examen, quo i docendo utimur, ſubire poſſint.

§. 1152.

loquentis officium ſtudium veritatis.

Qui loquitur, animi ſenſa cum aliis commu nicare judicatur: itaque nefas eſt, ea ſignificare quæ ab illis abhorrent. Pertinent huc iterum verba Cordemæi, de loquela, p. 95. edit. citat

§. 1153.

teſtimonium Cordemæi

Hoc loco expendere opera pretium eſt, und fiat, ut non modo orator vir probus eſſe debeat, ſed & perfecte eloquens eſſe nequeat, niſi ſit eá qualitate præditus: idque difficile conceptu non eſt, ſi ſemel conſentiamus, ad perfectam eloquentiam requiri artem auditores docendi, eorumque affectus reprimendi, vel excitandi, prout fini propoſito utile eſt. §. 1154

§. 1154.

Conſentiendum eſt etiam, oratori, qui con- continuatum
tra ea, quæ novit, loquitur, tam facile non
ſuppetere verba, quibus ſe exprimat, quam ſi verum diceret. Atque ſi, ne ab eo, quod dicere cupit, aberret, memoriter, quod dicturus eſt, diſcat, agnoſcendum eſt, ejus orationis, quæ memoriter tantum recitabitur, nunquam eam fore vim atque venuſtatem, qualis eſt orationis illius, qui, cum eleganter loqui didicerit, & dicat, quod cogitat, non veretur ne aberret. Hactenus Cordemæus.

§. 1155.

Non eſt tantum ob ethicas rationes, à lege deſumtas, neceſſarium, orator ut vera dicat; id quod ſupra §. 508. & ſeqq. præcepimus: ſed, quod hoc maxime loco moneri debet, ob cauſas ab oratoriæ ſcopo petitas. duplex veritatis neceſſitas, ethica, oratoria.

§. 1156.

Loquimur ut inveniamus fidem: quæ ſi in oratore nulla ſit, tametſi aſtutiſſime ſimulet, facile tamen fraudem ſagaciores ſubodorantur. probatur

§. 1157.

Nulla, Morhoſius inquit, in diſp. de eloquentia in tacendo, num. VII. p. 453. edit. Hamb. 1699. *tam fucata & omnibus ingenii luminibus picta excogitabitur à ſophiſtis oratio, quæ cautis & ſagacibus auditoribus oblinat os, vel eorum animis irrepat.* teſtimonio Morhoſii

§. 1158.

Addit deinde vir celebris: *atque ſic oratores & pöetæ intelligendi ſunt, cum virum bonum, nec oratorem, nec poetam eſſe, voluit Epicurus.* Rectiſſime in eo quidem ſentit. Nam ſi rhe- oratoria non eſt ars fallendi

torica nihil aliud ſit, quam ARS FALLENDI ut Athenæus loquitur apud Quinctil. L. II cap. 15. p. 117. edit. Obrecht: ſane fieri non poteſt, ut vir bonus orator exſiſtat, & viciſſim.

§. 1159.

neque à nobis Epicurus diſſentit

At vero oratoriam alium in finem ſcopumque conniti, ſupra §. 508. ſeq. injunctum eſt. Neque etiam Epicurus quemquam oratorem virum bonum eſſe negavit, niſi fuerit mentiendi egregius artifex: quem ſcriptorem proin Gaſſendus in libr. V. *de vita & moribus Epicuri* p. 59. edit. auct. Hagæ Comit. 1656. ſequentibus defendit.

§. 1160.

defenſus à Gaſſendo

Quod vero dixit κακοτεχνίαν (oratoriam) *malam artem, imitatus Platonem eſt, dum artibus bonis, ac legitimis opponens pravas, ac ſpurias, ut medicinæ, artificium coquorum, exercitatrici, mangonum (qui ſcilicet colorem fuco, & verum robur inani ſagina mentiuntur,) ac legali, cavillatricem; ſic ipſi juſtitiæ oppoſitam Rhetoricen habuit. - - Pugnat illud* ὐ ῥητορεύσειν καλῶς *non contra perſpicuitatem, ſed contra pravam affectatamque multorum dicendi rationem, ac nominatim ſophiſtarum, & demagogorum, quibus ludo eſt, facere fucum veritati.*

§. 1161.

plura his addere, noſtrum non eſt.

Plura, quæ de facultate loquendi tradenda eſſent, uti ad ſcopum oratoris minus, quam ad phyſicam ſcientiam, pertinent: ita, quoniam hoc muneris alii ſunt exſequuti, v. g. Cordemæus cit. *de loquela*, hic pedem figimus.

ELO-

ELOQUENTIA ſeu ſpeciatim ORATORIA.
alia verſatur
I in Tacendo
II in Dicendo : §. 1. quæ in tacendo verſatur duplex eſt, §. 2.
(1) muta §. 3. ſeq.
(2) vel tacendo loquens. §. 8. ſeq.
II oratoria in dicendo
(1) ejus notio parum completa
(a) Thomaſiana §. 10. ſeq.
(b) Ariſtotelica §. 13.
(2) notio completa & princeps. §. 15. Eloquentia eſt SAPIENTIA ORNATE LOQUENS:
cujus itaque ſunt tres ideæ partiales: ſapientia, Ornatus, facultas loquendi, §. 20.
(a) Sapientia eſt ſcientia ac amor, veri & honeſti. §. 21. quæ idea cum aliis conciliatur, ac defenditur. 21 - 27 §.
(α) Sapientia eſt ſcientia §. 27. ſeq.
(α) rejicitur Ariſtotelis definitio, quâ ſcientiam explicat §. 28. 29. 30.
(β) ſcientia excludit opiniones §. 32.
(γ) uſus ſcientiæ in oratoria §. 33 - 36.
(δ) objectiones ſolvuntur §. 37 - 39.
(ε) locum tamen veroſimilitudo habet, ubi ſcientiam non conſequeris §. 41.
(א) quid ſit veroſimilitudo §. 42. -probabilia
(ב) ſæpe ſunt uſui §. 44. etiam in orationibus §. 45. probatur exemplis, ratione, &c §. 46. ſeq.
(β) Sapientia eſt amor v. 51. ſeq.

 (α) notio

(α) notio amoris Ariſtotelica & Leibnitiana §. 54.
(א) amor veri & honeſti oratoribus neceſſarius §. 55.
(ב) objectio ſolvitur §. 58. ſeq.
(ג) confirmatur teſtimoniis claſſicorum §. 61.
(ד) inde præcepta pro oratore §. 62. ſeq.
(ה) notio amoris opportunitatem habet in theologia §. 67. ſeq.
(γ) Sapientia tendit in veritatem. §. 70.
(א) allatratur à ſcepticis §. 71. veteribus, hodiernis §. 72.
(ב) veritatis definitio §. 73. probatur §. 74.
(ג) veritas in principiis, in concluſionibus quæ? §. 75.
(aa) à DEO eſt §. 76.
(bb) inde ſequitur immenſus ſapientiæ & oratoriæ ambitus. §. 78. ſeq.
(ד) Veritas metaphyſica. §. 83. probatur §. 84. ſeq.
(aa) eſt etiam oratori ſubjecta. §. 87. ſeq.
(bb) veritas phyſica §. 89. ſeq.
eſt oratori neceſſaria §. §. 102. ſeq.
(cc) veritas hiſtorica §. 105. ſeq.
oratori convenit §. 121. ſeq.
(dd) veritas practica §. 132. alia eſt ethica alia moralis §. 134.
(αα) veritas ethica §. 135. ſeq.
oratori commendanda §. 145.
(ββ) veritas moralis §. 154.
oratori injungenda §. 160.
(ee) logica veritas §. 164. ſeq.
oratorem decet §. 174. ſeq.

(ff) veritas theologica §. 182. quotuplex §. 183. gradus ejusdem §. 189. ſeq. oratoris ſacri officium §. 273. ſeq. optimus orator in eccleſia §. 277. ſeq.

(ℵ) Sapientia verſatur circa honeſtum §. 300. ſeq.

(ℵ) refutatur Carneadis ſententia §. 310. ſeq.

(ב) omne honeſtum utile quo ſenſu? §. 323. ſeq.

(ג) convictio hominis, quod omne honeſtum ſit futurum utile, eſt fides, generali ſenſu §. 352.

(aa) oratori honeſtatis ſtudium: inprimis

(ד) convenit gradus honeſti, ſeu juris naturæ §. 375. ſeq. infimus,

(bb) oratori maxime neceſſarius §. 387. ſeq.

(cc) ſecundus naturæ gradus §. 412. ſeq.

(dd) ubi de iis, qui de genere humano præclare commeriti ſunt §. 422. ſeq.

(ee) quomodo orator de eo mereri poſſit §. 472. ſeq.

(ff) de honeſti ſpeciebus §. 398. de ethica §. 500. ſeq. de honeſtate ſociali, ſeu jurisprudentia. §. 545. ſeq.

de ſocietate univerſali plura §. 548. ſeq. quæ hîc delineare non poſſumus.

de jure gentium plura præcipiuntur, per plures paginas, §. 576. ſeqq. des' coups d'etat. §. 642. ſeq.

poſt plura refutatur Spinoza. §. 704.

omnis honeſtas oratori comendanda §. 713.

decorum quid ſit? §. 771. ſeq.

de verbis honorum §. 807.
de pedantiſmo, oratorum, & eruditc rum generatim §. 822. ſeq.

(b) Ornatus quid ſit? §. 876. in loquendo.
(α) definitio nominalis §. 876. ſeq. definitio ge netica §. 904. ſeq.
(β) ornatus in loquendo ponitur
(א) in perſpicuitate §. 915.
(ב) decoro §. 916.
(ג) prudentia §. 917.
(ד) vi & efficacia 918.
(ה) ſplendore actionis oratoriæ §. §. 919.
de omnibus agitur ſuo loco ſpecîalius. pe centum paragraphos.

(c) de facultate loquendi §. 1125.
(α) loquendum lingua auditoribus cognita § 1127. ſeq.
(β) diſcendæ grammatices regulæ §. 1130. ſeq.
(γ) loquendum aut cum ideis diſtinctis, aut ſaltem verbis vehementem affectum innuentibus §. 1133. ſeq.
(δ) loquendum ex vero §. 1152. ſeq.

Σ. Θ.

DE LAUDANDA HYPOCRISI,

SEU DE ELOQUENTIA CORPORIS.

§. 1.

COrporis heic eloquentiam adpellantibus, de oratoria ſacra illa, ad Chriſti populum exercenda, ſermonem non eſſe, ex ſe ipſo quisque intelligit. de qua qua eloquentia 1) non agatur?

§. 2.

Nam & ſacræ illius præcepta oratoriæ, noſtræ profecto diſciplinæ limites excedunt, multoque his ſubliniora exſiſtunt: & unius ſane Spiritûs S. in animis obtemperantium efficaciâ, plus profici poteſt ad illam divinam facundiam impetrandam, quam oratorum profanorum ſive doctrinis, ſive exemplis, vel innumeris. Dico hoc in meritum honorem illius oratoriæ ſublimioris. Quamvis enim in ſequentibus oſtenderim, ſi profanæ hujus oratoriæ ſubſidia, cum ſacra, quam ſpiritus S. docet, facundia, conjungantur; nos ſcopum οἰκοδομῆς eo felicius conſequuturos eſſe: tamen id exploratum eſt, his quidem præceptis carere poſſe illos, quicunque, nullius contemtûs, aut deſtinati conſilii cur?

ſtinctu, hæc naturalis eloquentiæ adminicula neglexerunt; ſed potius ob externa quædam, in caſu ſita, impedimenta, ab illis diſcendis, & exercendis, avocati ſunt.

§. 3.

argumentum ab auctoritate Chryſoſthomi

Recte Chryſoſthomus ad verba Pauli 1. Cor. v. 4. οὐ γὰρ, inquit ἁπλῶς δυνάμεως εἶπεν, ἀλλὰ πρότερον πνεύματος, καὶ τότε δυνάμεως δεικνὺς ὅτι πνευματικὰ ἦν τὰ γινόμενα. Vid. Tom. IV. oper. in 1. Cor. cap. 2. Homil. VI. p. 54. litt. E. 2. Non enim dixit virtutis *ſolùm, ſed prius* ſpiritus, *& tunc* virtutis; *oſtendens ea, quæ fiebant* (in Apoſtolorum dicendi facultate) *eſſe ſpiritualia.*

§. 4.

De qua non agatur 2.)

Neque porro heic de eloquentia ſtricte dicta agitur, quæ proprie mentis eſt, atque, quod ne tyrones quidem hujus artis fugit, inveniendi primò, tum diſponendi, eloquendique demum dexteritate abſolvitur: de qua & nos aliâs pauciſſima, & alii memoriæ prodidere infinita: inter quos, ſi recentiores cordi ſunt, inſtar omnium eſſe poteſt, celebre iſtud nomen Gerardi Johannis Voſſii, *in commentar. rhetoricorum, ſive oratoriarum inſtitutionum, libris VI.* comprehenſarum, tum alibi ſæpius impreſſarum, tum in forma quarta, Lugduni Batavorum, 1643.

§. 5.

quæ igitur hujus loci?

Quin potius corporis, non animi, eloquentiam hoc loco delineatam potius, quam amplificatam

plificatam volumus: cujus nec nomen, nec idea novitatem, ſed jam multis retro ſeculis, ipſum dicendi principem laudatorem, quamvis paſſim duntaxat, nec juſta tractatione, habet.

§. 6.

Hæc enim ſunt verba Tullii in oratore T. I. edit. Gothofred. J. C. p. 358. litt. F. *Eſt enim actio quaſi corporis quædam eloquentia, cum conſtet è voce atque motu. Vocis mutationes totidem ſunt, quot animorum, qui maxime voce commoventur. - - Quibus omnibus, dici vix poteſt, quantum interſit, quemadmodum utatur orator.* Item Quinctilian. L.XI. cap. 3. p. 669. edit. Obrecht: *namque*, ait, *Cicero actionem alias quaſi ſermonem, aliâs eloquentiam quandam corporis dicit - - Habet autem res ipſa miram quandam in orationibus vim atque poteſtatem.* ratio appellationis.

§. 7.

Actio igitur oratoris, ſeu omnis ille membrorum corporeorum motus, quôcunque auditorum ſenſus afficiuntur jucunde, corporis eloquentiam complectitur, & noſtræ meditationi hac vice præbebit materiam. explicatio rei.

§. 8.

Cujus quidem eloquentiæ præcepta, quousque antiquis temporibus exculta ſint; ex Ariſtotelis, ſi quæ ejus apud nos eſt auctoritas, teſtimonio, non difficulter cognoſcemus. an Veteribus cognita?

§. 9.

Ita enim Philoſophus: rhetoric. L. III. cap. 1. §. 7. edit. Schrad: ἐπεὶ δ' ἐπικεχείρηται τὰ judicium Ariſtotelis.

 περὶ

περὶ τὴν ὑπόκρισιν. *Sed nondum à quoquam pertractatum eſt, quod ad actionem & pronuntiationem facit.*

§. 10.

Græcorum dictio qua illam exprimunt.

Quod igitur nos actionem, id Græci hypocriſin vocant, honeſto vocabuli, non improbo ſignificatu.

§. 11.

momentum hujus eloquentiæ.

In qua quidem hypocriſi, quantum ad commovendos auditores efficaciæ, quantum momenti, ſitum ſit, ſi nullius cujusquam teſtimonio intelligeretur, vel unius tamen Valerii Maximi, in hanc rem egregia ſcribentis, ſufficeret fides.

§. 12.

probatur.

Verba ejus L. VIII. cap. 10. num. 1. p.m. hæc ſunt: *eloquentiæ autem ornamenta in pronuntiatione apta, & convenienti motu corporis conſiſtunt. Quibus cum ſe inſtruxit, tribus modis homines aggreditur, animos eorum invadendo, horum alteri aures, alteri oculos permulcendos tradendo.*

§. 13.

probatur.

Sed ut propoſiti fides, pergit, *in perſonis illuſtribus exhibeatur, C. Gracchus, eloquentiæ, quam propoſiti, felicioris adoleſcens, quoniam flagrantiſſimo ingenio, cum optime rempublicam tueri poſſet, perturbare impie maluit: quoties apud populum concionatus eſt, ſervum poſt ſe muſicæ artis peritum habuit, qui occulte eburnea fiſtula pronuntiationis ejus modos formabat, aut nimis remiſſos excitando, aut plus*

juſto

juſto concitatos revocando : quia ipſum calor, atque impetus actionis attentum hujus temperamenti æſtimatorem eſſe, non patiebatur.

Scite Tullius in partit. orator. T. I. edit. Godofr. p. 413. *Illuſtris oratio eſt, ſi & verba gravitate delecta ponuntur, & translata, & ſuperlata, & ad nomen adjuncta, & duplicata, & idem ſignificantia,* atque ab ipſa actione atque imitatione rerum non abhorrentia. Eſt enim hæc pars orationis, quæ rem conſtituat pene ante oculos. *Is enim maxime ſenſus attingitur: ſed cæteri tamen, & maxime mens ipſa moveri poteſt.*

Recte Quinctilian. Inſtitut. orator. L. XI. cap. 3. p. 670. edit. citat. *quare neque probatio ulla, quæ modo venit ab oratore, tam firma eſt, ut non perdat vires ſuas, niſi adjuvetur aſſeveratione dicentis. Affectus omnes langueſcant neceſſe eſt, niſi* voce, vultu totius prope habitu corporis *inardeſcant,*

Nam cum hæc omnia fecerimus, felices ſumus. ſi noſtrum illum ignem judex (auditor) *conceperit. - - - Quodſi in rebus quas fictas eſſe ſcimus, & inanes, tantum pronuntiatio poteſt, ut iram, lacrymas, ſolicitudinem afferat: quanto plus valeat neceſſe eſt, ubi & credimus? - - - ſiquidem & Demoſthenes, quid eſſet in toto dicendi opere ſummum, interrogatus, pronuntiationi palmam dedit, eidemque ſecundum ac tertium locum, donec ab eo quæri deſineret.*

§. 14.

§. 14.

Tractationis partitio.

De hac igitur eloquentiæ parte, quoniam in tractatione rerum omni prælucere debet ordo; ita potiſſimum verba ſumus facturi, ut partibus omnino tribus abſolvamus omnia. *Prima* eloquentiæ hujus, quæ à corpore proficiſcitur, præcepta ſiſtet: altera præceptorum rationes, ex natura unionis, qua cum corpore anima copulatur, deſumtas oſtendet: extrema denique artificia commonſtrabit, quæ, qui adhibet, præceptis illis obtemperare haud difficulter poſſit.

§. 15.

primæ partis ſubdiviſio.

Præceptorum, quæ ad formandam hanc eloquentiam pertinent, naturam indolemque propius, i. e. diſtinctius, conſideraturis; quibus ipſa functionibus ſpeciatim contineatur, vocare ad animum, conſultum eſt.

§. 16.

juxta mentem Ariſtotelis.

Ariſtoteles L. III. rhetoric. cap. 1. §. 10. ἔςι, inquit, δὲ ἀυτὴ μὲν ἐν τῇ φωνῇ. *Actio*, ſeu corporis eloquentia, *in VOCE poſita eſt.*

§. 17.

Quinctiliani potius.

Sed verius, aut, ſi mavis, plenius, Quinctilianus L. XI. cap. 3. Inſtit. orat. p. m. 672. edit. Obrecht. *Cùm*, ait, *ſit autem omnis actio, ut dixi, in duas diviſa partes*, VOCEM, GESTUMQUE : *quorum alter* OCULOS, *altera* AURES *movet, per quos duos ſenſus omnis ad animum penetrat affectus : prius eſt, de voce dicere, cui etiam geſtus accommodatur.*

Fc

Et hi duo quidem ſenſus, oculi & aures, uti in flectendo hominis animo, quampluri- mum poſſunt, eundemque queunt verſare, in partes propemodum omnes: ſic & ad illos oc- cupandos, ſuaviterque demulcendos, univerſa facundiæ vis componi, & in hunc ſcopum, voce & geſtu, dirigi debet.

§. 18.

Diſpiciamus igitur primo, quæ præcepta ſint, ut vocem accommodemus, ad conſequendam eloquentiæ vim. Id fieri congrue poterit, ſi, quid vox ſit, primo generatim expenderimus. **De voce dicendum.**

§. 19.

Plutarchus de placitis Philoſophorum L. IV. cap 19. p. 902. edit. Xylandr. T. II. Πλάτων τὴν φωνὴν ὁρίζεται, πνεῦμα διὰ σόματος ἀπὸ διανοίας ἡγμένον, καὶ πληγὴν ὑπὸ ἀέρος, δι ὤτων καὶ ἐγκεφάλε καὶ αἵματος μέχρι ψυχῆς διαδιδομένην - - - Κυρίως δὲ φωνὴ ἡ ἐναρθρός ἐςιν, ὡς φωτίζυσα τὸ νοέμενον. **quid ſit vox?**

§. 20.

Plato vocem definit ſpiritum per os ab animo deductum & ictum aëris, qui per aures, cerebrum & ſanguinem usque ad animam traditur. - - - Proprie autem vox articulata eſt, græcis ab illuſtrando mentis conceptu dicta.

§. 21.

Quæ ſi vera ſunt, (ſunt autem certe,) quis non intelligit, ad oblectandos audientium animos, plurimum referre jucundône modo, an ingrato, ſeu moleſto, aëris, cujus motu tremulo vox exſiſtit, agitatio, aures percellat? **definitionis momentum**

Confir-

Confirmatur id Quinctiliani teſtimonio L. XI. cap. 3. p. 675. edit. Obrecht. *nam ut* pronunciatio *emendata*, dilucida, ornata, apta eſſe debet: *ita hæc quoque emendata erit, i. e. vitio carebit, ſi fuerit os* facile, explanatum, jucundum, urbanum, *i. e. quo nulla neque ruſticitas, neque peregrinitas reſonet.*

Non enim ſine cauſſa dicitur barbarum, græcumve. Nam ſonis homines, ut æra tinnitu, dignoſcimus. *Ita fiet illud quod Ennius probat, cum dicit ſuaviloquenti ore Cethegum fuiſſe: non quod Cicero in iis reprehendit, quos ait* latrare, non agere.

De præceptis circa vocem, hæc eſt Voſſii, inſtitut. orat. L. VI. p. 524. edit. Joh. Maire, ſententia: *præcepta, quæ ad ſolam vocem pertinent, vel totam reſpiciunt orationem, vel certas ejus partes. In tota oratione, conſideratur tum* quantitas vocis, tum qualitas.

Quantitate vox eſt grandis, vel exigua *ſtarck, ſchwach;* tarda, vel præceps; *langſam, ſchnell.*

Qualitate *eſt plena, mannsſtimm, exilis, klare Weiberſtimm, levis, zart, aſpera, rauhe,* fuſca, *dümpffe, candida, helle, acuta, hohe, gravis, tieffe ſtimm.* Subjungit poſtea:

In quantitate tria obſervanda: primum eſt, ut ſoni magnitudinem, pro loci moderemur amplitudine: deinde ut ſingula, cum mora ali-

qua

qua proferantur. Nam præceps ſermo eſt indecorus, minus etiam intelligitur: numerus quoque ejus in caſſum aures prætervolat &c. Tertium eſt, ut cui vox ſit imbecillior, rarius attollat, ſæpe deprimat, ſæpe flectat.

§. 22.

Id equidem indubium eſſe minime diffiteor, ſuam cuique homini diſtinctam à natura tributam eſſe vocem, nec jucunda ex æquo omnes uti, vel uti poſſe: quod jam vel olim doctiſſimi quique agnoverunt, inter quos Plinius, qui L. XI. cap. 51. Hiſt. Nat. p. m. 25. ita ſcribit: *totidem ſunt ea,* (voces) *quot in rerum natura mortales, ſua cuique ſicut facies. Hinc illa gentium totque linguarum toto orbe diverſitas, hinc tot cantus, & moduli flexioneſque.* objectio

§. 23.

Sed quemadmodum in facierum, quibus homines diſcernuntur, varietate infinita, non adprobata, modo omni omnibus, ſubinde tamen inveniuntur, quæ placeant omnibus, aut ſaltim plerisque, quæ itaque generalem pulcritudinis regulam fundant; quemadmodum non obſtante tanta facierum difformitate, juvat eluere ſordes, &, quoad fieri poteſt, nitorem inducere, qui, quod nauſeam parit, ſubmoveat: ita quoque, tametſi vocum magna ſit diverſitas, nec omnibus vox omnis placeat; ſunt tamen quædam communia, in quibus laudandis cuncti conſentiunt; nec, quæ in voce parum grata ſunt, nullo emendari pacto poſſe, exiſtimandum unquam eſt. ſolutio

§. 24.

§. 24.

consilium tradendi leges de voce.

Quin igitur nonnulla tradamus præcepta, ad vocem eo conſilio fingendam, ut orator ad finem, quem ſibi, in commovendis auditoribus, præfixum habet, quamproxime accedat.

§. 25.

prima lex

Prima lex eſto, ne ſit orator ultra modum clamoſus; ne ſe illo Juvenalis ſatyrico ſale, ſat. XIII. verſ. 112. p. m. 444. dignum præbeat:

Tu miſer exclamas ut Stentora vincere poſſis.

De Stentore enim Homerus Iliad. Litt. E. verſ. 686.

Ὃς τόσον αὐδήσας χ᾽ ὅσον ἄλλοι πέντηκοντα.

Qui tantum vociferabatur, quantum alii quinquaginta.

Facit huc Quinctiliani monitum inſtit. orat. L. XI. cap. 3. p. 678. edit. Obrecht. *ne dicamus* omnia clamoſe, quod inſanum eſt: *aut intra loquendi modum, quod motu caret:* aut ſummiſſo murmure, *quo etiam debilitatur omnis intentio: ſed ut in iisdem partibus, iisdemque affectibus ſint tamen quædam non ita magnæ vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut ſententiarum natura, aut depoſitio, aut inceptio, aut tranſitus poſtulabit: ut, qui ſingulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, ſine quo ne membris quidem ſuas lineas dediſſent.*

Generaliſſima regula eſt: geſtum voci, vocem rebus adtemperandam.

§. 26.

§. 26.

Recte enim illud antiquitatis in dicendo mi- probatur
'aculum, Demoſthenes, in orat. de falſa legat.
): m. 245. litt. C. contra magnam Æſchinis vo-
:em: τηνικᾶυτα ὡς καλὸν φθεγγομένῳ προσέ-
ζοιτε; μηδαμῶς μηδὲν ἀβέλτερον ὑμεῖς πάθητε.
ἀλλὰ λογίζεσθε, ὅτι δεῖ κήρυκα μὲν ἂν δοκιμά-
ητε, εἰ εὔφωνος, σκοπεῖν &c.

§. 27.

*Tum demum ut belle ſonantem attente au-
'ietis. Minime vero! abſit à vobis ea ſtulti-
ia: cum vero præco approbandus eſt, id ſpe-
tandum eſſe ducite,* AN SIT VOCALIS?

§. 28.

Hæc ratio eſt, quamobrem Toxilus apud illuſtratus
laut: in perſa Act. III. ſcen. 3. verſ. 22. leno-
em colloquentem albis rideat dentibus, his
tens verbis: *Næ tua vox valde valet.* Ni-
iirum

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere
rectum.

Iorat. L. I. ſatyr. 1. verſ. 106. 107. p. 275.

§. 29.

Verùm ex adverſo fugiendum & extremum lex alia
terum. **Vox oratoris ne ſit juſto ſub-
iiſſior aut exilior**, ſive languoris cujusdam
ilpa, ſive naturæ vitio, quod, quomodo cor-
gendum ſit, ſuo loco, dicemus.

§. 30.

Hinc ille oratorum, ſeu eorum, qui orato- illuſtratus
:s videri cupiebant, in emendanda voce, labor,

& conatus. De Nerone Suetonius cap. 20. p. m. 207. memoriæ prodit: *nec omittere quidquam eorum, quæ generis ejus artifices, vel conſervandæ vocis cauſſa, vel augendæ, factitarent. Sed & plumbeam chartam ſupinus pectore ſuſtinere - - & abſtinere pomis cibisque officientibus: donec blandiente profectu, (quanquam exiguæ vocis & fuſcæ) von einer leinſen und dumpffen ſtimm, prodire in ſcenam concupivit.*

Hæc duo præcepta pertinent ad vocis qualitatem, quæ claritate, & ſuavitate abſolvitur. Ad claritatem quatuor illa requirunt: (1) ut in exordiis ſedatâ oratione faciamus initium. Nam clamore guttur exaſperatur, ut vox acerba exeat. (2) ut vox crebro immutetur, ne in μονοτονίαν incidat. vid. § 37. (3) Deinde intervalla neceſſe eſt ſermonem diſtinguant, ut ſpatium auditori ad expendendum, & reſpiratio oratori ad recreandas arterias, concedatur (4) Denique cavendum, ne vocem intendamus exclamationibus nimium acutis, *daß man die ſtimm nicht übertreibe, oder überſchrey, durch allzuhoh gefaſten thon.*

Suavitas vocis plerumque naturâ ingeneratur, pertinetque ad ea, de quibus §. 48. diximus. Quisquis vero, procul eſſe juſſô affectandi ſtudiô, eos, qui ſuaviter loquuntur, imitari, eaque ſoni moderatione uti poteſt, quæ nec firmitudinem, nec mollitudinem deſerit; *welche weder abfällt, noch allzurauch wird:* is à vocis ſuavitate non multum remotus erit. Vide tamen cautionem circa hanc regulam, § 46.

§. 31.

Diſertis Tullius verbis ſcribit, in offic. L. I. cap. 37. §. 3. p. m. 355. *contentionis præcepta, (da man ſich in der ſtimm angreiffen muß) rhetorum eſſe.* probatur

§. 32.

Quoniam porro verborum pronuntiatio, quàm par eſt, tardior, velocibus auditorum ingeniis de aliis interim cogitandi occaſionem relinquit; non ſatis iſthæc rebus, quas oratione ornatas cupimus, digna videtur, quin potius maxime fugienda. Sic enim Cicero L. I. de inventione, edit. Gothofr. J. C. T. I. p. 81. litt. E. *pronuntiatio*, inquit, *eſt, ex rerum & verborum dignitate, vocis & corporis moderatio.* Alià lex probatur

§. 33.

Contra quemadmodum *Romanorum priſci, inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum perſeverantia cuſtodiebant, ne Græcis unquam, niſi latine, reſponſa darent; quin etiam ipſa linguæ volubilitate, die geläuffe Zunge, excuſſa, per interpretem loqui cogebant:* ſic & magnopere perſpicuum eſt, linguam in pronuntiando nimis velocem, dignitatis parum conciliare orationi. Prius illud de Romanis teſtatur Valer. Maximus L. II, cap. 2. num. 2. p. m. 46. Alia lex.

§. 34.

Cum porro *Claudium, Cæſarem, à linguæ titubantia dehoneſtatum fuiſſe,* ſcribat. Sueton. in Claud. cap. 30, p. m. 190: quid & de hac Lex alia

ſentiendum ſit, ſi quis orator eâ laboret, non eſt difficile cognitu,

§. 35.

Lex alia Sed & vox cantillans maxime oratorem dedecet: de qua Cic in offic. L.I. c. 37. §. 7. *ſine contentione vox*, inquit, *nec languens ſit, nec canora.* Alludit huc Quinctilianus, inſtitut. orat. L. XI. cap. 3. p. 680. edit. Obrecht. *Sed quodcunque ex his vitiis magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur, in cauſſis omnibus ſcholisque* CANTANDI, *quod inutilius ſit, an fœdius, neſcio.*

Idem auctor p. 677. hæc habet: *neque graviſſimus*, ut in muſica, ſonus, nec acutiſſimus, orationibus aonvenit. Nam & hic parum clarus, nimiumque plenus, nullum afferre animis motum poteſt: & ille pertenuis, & immodicæ claritatis, tum eſt ultra verum, tum neque pronuntiatione flecti, neque diutius ferre intentionem poteſt.

§. 36.

lex dubia Diſputant quidem Veteres: numquid vox rauca tolerari in oratore poſſit? quare Cic. de oratore L. I. edit Gothofr. J. U. D. T.I. p. 193. *Nos*, inquit, *raucos ſæpe attentiſſime audiri video, tenet enim res ipſa atque cauſſa. At Æſopum, ſi paullum irraucuerit*, (alii irrauſerit) *explodi*: quibus verbis vocis ſuavitatem fabularum actoribus magis relinquendam eſſe, ſignificare videtur.

§. 37.

novum Id tamen exploratum, orationis pronuntiationem

onem uno factum continuoque ſono, recitantium lectiones in trivio ad inſtar, valde ingratam, nec magnopere commendabilem eſſe. præceptum.


Hinc non negligenda ſunt, quæ Quinctilianus ſuadet, inſtit. orator. L. XI. cap. 3. p. 678. edit. Obrecht. *vitemus igitur illam, quæ græce μονοτονία vocatur,* una quædam ſpiritus ac ſoni intentio.

§. 38.

Addi huic præcepto meretur illud, de quo Tullius in offic, L. I, cap. 37. §. 6. 7. *ſonus erat,* (ſit) *dulcis: litteræ neque expreſſæ (allzuderb ausgeſprochen) neque oppreſſæ (in etwas verbiſſen, oder die letze ſylben verſchluckt) ne aut obſcurum eſſet, aut putidum.* Cavendum, ne ſyllabæ opprimantur. Audiendus Quinctilianus, in inſtit. orat, L. XI. cap. 3. p. 675. edit. Obrecht. *dilucida vero erit pronunciatio, primum ſi verba tota exierint, quorum pars devorari pars deſtitui ſolet, plerisque extremas ſyllabas non proferentibus, dum primorum ſono indulgent.*

§. 39.

Caveatur porro vox certis tantum ſonis, v. g. tribus, in omni rerum dicendarum argumento, diſtincta v. g. hôc modulo: aliud



incipiendo vel ab inferiori graviorique ſono ad ſuperiorem acutum, vel viciſſim, atque ita totius orationis pronuntiationem continuando.

§. 40.

aliud praeceptum

Quin potius, quia Quinctilianus in caſu quodam ſpeciali ſcribit, inſtitut. Orat. L. VIII, cap. 3. p.m. 458. edit. Obrecht: *nam rebus atrocibus verba etiam ipſo auditu aſpera conveniunt:* eâdem ratione, generatim de omni oratione verum erit, verba non minus ac vocem, & ſonô, & pronuntiationis ſive intenſione, ſive remiſſione, reſpondere debere, rerum dicendarum emphaſi.

§. 41.

aliud praeceptum

Nimirum, quæ exhilarare poſſunt, pronuntiare convenit voce liquida, & candida, de qua Horat. L. I. od. 24. verſ. 3,

Cantus, Melpomene: cui, liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.

Quæ terrere, voce aſpera, quam paullo ante commendavit Fabius: quæ in oratione verba, quæ in verbis ſyllabæ emphaſin inferunt, majori vocis contentione: quæ triſtitiam afferre, voce, non quidem flebili, mulieribusque digna, ſed interpolata gemitibus, gravi, ſeria, animique moeſti indice.

Pertinent huc Fabii verba, inſtitut. orat. L. XI. cap. 3. p. 682. edit. citat. *vox eſt mentis index, & velut exemplar, ac totidem, quot illa, mutationes habet. Itaque lætis in rebus plena, ſimplex, & ipſa quodammodo hilaris fluit: at in certamine erecta totis viribus, & velut omnibus nervis intenditur. Atrox in ira, & aſpera, ac depreſſa, & reſpiratione crebra. Neque enim poteſt eſſe longus ſpiritus, cum immoderate effunditur.*

§. 42.

§. 42.

Reprehendi quoque meretur verborum inculta pronuntiatio: qua homines utuntur agreſtes, Tullio forte damnata, ubi *adipatum dicendi genus, eine braite grobe ausſprach*, ex inſtituto damnat. Dixi: FORTE: quæritur enim adhuc, utrum, quæ Cic. in Brut. orat. T. I. edit. Gothofr. p. 353. dicit. *itaque Caria, Phrygia, & Myſia, quod minime polita, minimeque elegantes ſunt, adſciverunt aptum ſuis auribus, opimum quoddam, & tanquam adipatæ dictionis genus:* ad inconditam pronuntiationem, an ad verborum, phraſiumque indecorum, referenda ſint? aliud præceptum.

Reliqua vocis vitia nervoſe à Quinctiliano recenſentur, inſtitut. orator. L. XI. cap. 3. p. 675. edit. Obrecht: *deinde vox non ſubſurda, (unverſtändlich) rudis, (tölpiſch) immanis, (ungeheur) dura, (frech, und unverſchämt) rigida, (rauhe) vana, (ſladdricht) præpinguis, (grob) aut tenuis, (zart) inanis, (öde) acerba, (widrige, knarrende) puſilla, (kleinlaut) mollis, (weich) effeminata; (weibiſch) ſpiritus nec brevis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis.*

§. 43.

Differunt voces hominum, quantitate pariter ac qualitate, vid. Quinct. L. XI. cap. 3. p. m. 677. *nam eſt*, inquit illa, candida, fuſca, *reine dumpffe*, & plena & exilis, *ſtarck und ſchwach*, lenis & aſpera, *ſanfft und rauh*, contracta & fuſa, *eine kurtz auffſchnappende*, differentiæ vocum.

 oder

oder ſich im ort ausbreitende, dura & flexilis eine harte, und auff und ab lenckbahre, clara & obtuſa, helle und dunckele ſtimm.

§. 44.

alia lex. Utendi tamen his vocibus multiplex ratio, quousque natura permittit. Tametſi enim non eadem omnibus à natura ingenerata fuerit; tamen in earum unaquaque, *tum intentis, tum remiſſis, tum elatis tum inferioribus modis opus eſt, ſpatiis quoque lentioribus aut citatioribus.* Verba ſunt Quinctiliani L. XI, cap. 3. p m. 672.

§. 45.

fundamentum Cum affectatio oratori conveniat nulla; quod Ariſtoteles præcipit: rhetoricor. L. III. cap. 2. §. 10. 11. Δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας, καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως, ἀλλὰ πεφυκότως. Τοῦτο γὰρ πιθανὸν, ἐκεῖνο δὲ τοὐναντίον, ὡς γὰρ πρὸς ἐπιβουλεύοντα διαβάλλονται, καθάπερ πρὸς τοὺς οἴνους τοὺς μεμιγμένους. *Quare danda eſt opera, ut hoc clam fiat, ne videamur ficte dicere, ſed ut nobis dictat ipſa natura: ſic enim erit probabilis oratio, illo vero modo contrarium eveniet, nam oratorem tanquam inſidiatorem ſuſpectum habent, non aliter atque permixta vina:*

§. 46.

novi præcepti Facile intelligitur, nec vocis inflexione, quidquam, quod à natura dicentis abhorreat, mutandum, nec præpoſtera & immatura vocis, qua alii jucunda utuntur, imitatione, nauſeam auditori creandam, ſive ejusdem reprehenſioni præbendam occaſionem.

Invita

Invita Minervâ agendum nihil eſt. Perexinia eſt Tullii in hanc rem ſententia, de offic. L.I. cap 31. §. 3, *neque enim attinet, repugnare naturæ: neque quidquam ſequi, quod aſſequi nequeas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud: ideo quia nihil decet invitâ, ut ajunt, Minerva, i. e. adverſante, & repugnante naturâ.*

Omnino, ſi quidquam eſt decorum, nihil eſt profecto magis, quam æqualitas univerſæ vitæ, tum ſingularum actionum: quam conſervare non poſſis, ſi aliorum naturam imiteris, omittas tuam.

§. 47.

Hactenus dari præcepta potuerunt fingendæ vocis, ad vim eloquentiæ pandendam; reliqua legibus determinari aut circumſcribi non poſſunt: quoniam cætera à generali conformitate abludunt, & jucunditatis ſenſum, ab individuis, quæ oratorem circumſtant, rebus, demum nanciſcuntur: quas, eo ipſo, quia individuæ ſunt, (ſenſum hujus vocis philoſophicum innuo) ob varietatem infinitam, determinare nemo poteſt. de omnibus dari præcepta nequeunt

§. 48.

Heic igitur incipiunt hujus artis termini, quos ultra, rationes ſuavitatis in voce reddere, nullas amplius poſſumus: ideoque, quisquis hic, propter cauſſas individuas, ſive vocis, ſive reliquorum geſtuum interventu, ſuavitatem quandam conſequitur: illius facundia habet hac parte nonnihil quod per ſe inenarrabile eſt, i. e. quod ulteriori rationum analyſi, per- ſunt quædam inenarrabilia.

veſtigare, cumque aliis communicare, no
poſſumus.

In omni objecto, quod in ſenſus incurrit
alia per partes explicare licet, alia per parte
inexplicabilia, & confuſe repræſentata, magi
ſentiri, quam verbis exprimi poſſunt. Oculi
quæ v. g. obvia ſunt, eatenus diſtincte cogno
ſcuntur, i e. per partes, quatenus diſcerner
licet, ſitus, magnitudines, figuras, & motû
diverſos gradus: ſed quatenus pulcri colores in
tuentibus obverſantur, nihil eſt, quod in eoder
colore diſtinguas, nihil propterea, quod verbi
cœco exponere, ea ratione poſſis, quâ ſitus
figuræ, magnitudines & illorum, qui viſu de
ſtituuntur, intellectui, repræſentari poſſunt
Mirum non eſt, idem evenire circa vocem.

§. 49.

ur? Has tamen individuas rationes triplici adhu
termino definire licet. Aut enim populus
ad quem facimus verba, aut ætas, quam ſu
mus conſecuti, aut denique natura ſingula
ris, quâ nos ab omnibus aliis, ſupremus do
norum omnium arbiter, diſtinxit, actionem
depoſcunt, ſibi ſeorſum conſentaneam: à qua
ſi recedas, omnem tua oratio gratiam penitus
amittit.

§. 50.

determinat tamen actionem Auditor

Primo quidem populi indoles, ubi oratio
habenda, ſæpenumero, qua voce, & actione,
utendum ſit, condocefacere ſolet. Hinc Cicero, in Bruto oratore, T. I. edit. Gothofr. p.
353. *omnes*, inquit, *qui probari volunt, voluntatem*

ntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad
mque, & ad eorum arbitrium, & nutum
tos ſe fingunt, & commendant. Itaque Ca-
a, & Phrygia, & Myſia, quod minime polita
minime elegantes ſunt, adſciverunt aptum
is auribus opimum quoddam & tanquam adi-
ata dictionis genus, quod eorum vicini, non
a lato interjecti mari, Rhodii, nunquam
obaverunt.

§. 51.

Graci autem multo minus, Athenienſes ve-
funditus repudiaverunt: quorum ſemper fuit
rudens ſincerumque judicium, nibil ut poſ-
nt, niſi incorruptum audire, & elegans.
orum religioni cum ſerviret orator, nullum
erbum inſolens, nullum odioſum ponere au-
ebat.

§. 52.

Hinc Saxoniæ inferioris incola ſine aurium probatur
ffenſione non audit Suevum, nec Suevus illum exemplo
ronuntiantem recte percipit. Ut alia infinita obvio
xempla omittam,

Gravis Hiſpanorum actio, quæ ſerios vul-
us, ad faſtum usque, affectat, placere Gallis
ullo pacto poteſt, Sed nec Gallorum in di-
endo agilitas, volubilitas linguæ, orisque ad
ffabilitatem compoſiti facilitas, Hiſpanis un-
quam adprobatur. Multum quoque refert,
ertis in audiendo oratore geſtibus, aſſuefa-
ctus ſis, nec ne? Sternutatorio pulvere, in di-
endo, moris interpoſitis, uti, à Germanorum
conſuetudine vehementer abhorreret: qui ritus
tamen

tamen apud Hiſpanos paſſim in elegantioru numero ponitur.

Uti decori ratio duplex eſt, alia naturali i. e. in ipſa plerarumque gentium natura, fu data: ne nauſeam aliis crees, ne pude rem profliges, ut aliorum amorem co cilies, &c. alia autem arbitraria, quæ hu jus aut illius gentis propria eſt: ut c put nudare, honoris ſignificandi cauſſa, quo apud nos obtinet; aut tegumentum ejus relin quere, alio adhibito venerationis ſignô: ſi alia de pronuntiatione præcepta ad omnes pe tinent; alia vero unius populi ſingularia ſu inſtituta, neç alibi usquam adprobanda.

§. 53.

ætas quoque actionem ſeu vocem determinat

Sed & ætatis hîc non eſt habenda ratio nul la Alia voce utuntur ſenes, alia juvenes: ali igitur illos, hos alia deçet. Nam ut morum e diverſitas mirifica, quam Ciçero obſervat, d ſeneƈt. cap. 10 §. 13. 14. *infirmitas puerorun eſt, & ferocitas juvenum, & gravitas jan conſtantis ætatis: & ſeneƈtutis maturitas na turale quiddam habet, quod ſuo tempore per cipi debet:* ſiç & vocum eſt ingens in diverſi ætatibus varietas. Quamobrem ea quisque ora tor utitur, quam præſentes anni vendicare ſib videntur.

§. 54.

& natura

Inprimis ſuam quisque orator naturam ducem in pronuntiando ſequitur. Perſona, quam à natura gerimus, duplex eſt. Audiatur Tullius:

ius : *intelligendum eſt, duabus quaſi à natura nos indutos eſſe perſonis : quarum una eſt communis, ex eo, quod omnes participes ſumus rationis, præſtantiaque ejus, quâ antecellimus beſtiis - - altera autem, quæ proprie ſingulis eſt tributa.* Cic in offic. cap. 30. §. 7. p. m. 309.

§. 55.

Et cap. 31. §. 1. idem ita ſcribit : *admodum autem tenenda ſunt, ſua cuique non vitioſa, ſed tamen propria, quo facilius decorum illud, quod quærimus, retineatur. Sic enim eſt faciendum, ut contra naturam univerſam nihil contendamus : eâ tamen conſervatâ, propriam naturam ſequamur : ut etiamſi ſint alia graviora atque meliora, tamen nos ſtudia noſtra naturæ regula metiamur.*

§. 56.

Quod ſi igitur Suevus gente, illâ in pronunciando dialectô utatur, quæ Saxonum propria eſt; etiamſi inter hos aliquamdiu verſatus ſit; (naturalia enim adſcitis ſemper præpollent) tum a ſua ipſius natura deſciſcentem, fieri non poteſt, quin alii jure reprehendant. illuſtratur exemplo

Riſum ciet ille, qui in Suevia natus, Saxonum more ſyllabas pronuntiat. V. g. verbum eſt, germanico idiomate, iſt, indecore Suevus effert ore, ut verbum edit, *er iſſt*, quod in homine Saxonum cive, utcunque toleres. Toleres, *inquam* : priorem quippe, eandemque Suevorum pronuntiationem poſteriori anteponendam eſſe, ipſa vocum ambarum differentia docet, quæ & pronuntiatione diſtincta efferri debet.

§. 57.

§. 57.

de recta geſtus confor-matione.

Hæc de voce dicta ſunto. Reliquum eſt, quæ in corporis eloquentia locum occupant ſ cundum, nunc penitius conſideranda ſumamu De recta ſcilicet vultûs conformatione, qu præcipue geſtûs natura abſolvitur, nunc qua dam obſervanda ſunt.

§. 58.

in quibus partibus conſiſtat?

Geſtus nimirum omnis in congrua ac decen ti & **vultûs, capitisque totius**, compoſ tione, & **manuum** accommodato motu, co locatur. Primo de **vultu**, tum de manuun motu nonnulla dicemus.

Vultûs in dicendo recte compoſiti vis eſt in credibilis. De qua re Quinctilian. L. XI. c. : p. 684. edit. citat: *dominatur autem maxim vultus. Hôc ſupplices, hoc minaces, hoc blan di, hôc triſtes, hoc hilares, hoc erecti, ho ſummiſſi ſumus: hoc pendent homines, hoc in tuentur, hunc ſpectant etiam antequam dica mus: hoc quosdam amamus, hoc odimus, ho plurima intelligimus: hic ſæpe eſt pro omnibu verbis.*

§. 59.

lex gene-ralis de compo-nendo re-cte vultu

Ad **vultum** referimus **os, frontem, ocu los**. Vultus generatim ita componi debet, u oratore dignus ſit. Hinc exulet **triſtior pæ dagogi vultus**; *wann man eine* pedantiſch*e* mine *macht, und allzu ſaurtöpffiſch darein ſi het: grad als wolte man, nach art der ſchul männer, den ungehorſamen Knaben einen* pro-

duct

luct *geben*, qui tametſi mortis ſupplicium
ion mereatur, quod inſano, conſceleratiſſimo-
que judicio, Neronem Pætæ Thraſeæ, ob ean-
lem cauſſam, addixiſſe, Suetonius in Neron.
ap. 37. p. m. 219. memoriæ prodidit: tamen,
ùm favorem auditorum conciliare non poſſit,
jusmodi ſpecies oris ſummo ſtudio devitan-
la eſt.

Vultus, ex generali regula, oratore dignus
ſt, qui non ſolum triſtem pædagogi habitum
itat: ſed ex quo gravitas etiam comitate con-
lita eluxerit.

Idem vero vultus, ex generali præcepto, &
ebus eſſe propoſitis attemperatus debet. Ter-
am ne reſpicias, ubi de cœlo, nec cœlum, ubi
le rebus humilibus ſermo eſt.

Si res fuerint lætæ, vultum induas hilarem;
i funeſtæ, eundem ad triſtitiam componas ne-
eſſe eſt. De illo, qui oratore dignus eſt, vul-
u, hæc habet Horatius: de art. poet. verſ. 112.

Si dicentis erunt fortunis abſona dicta
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit multum, Davusne loquatur an Herus?

le hoc autem vultu, qui rebus attemperari de-
bet, ſic idem pronuntiat. cit. loc.

- - - Triſtia mæſtum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem, laſciva: ſeverum ſeria dicta.
Format enim natura prius nos intus ad omnem,
Fortunarum habitum: juvat aut impellit ad iram.

§. 60.

§. 60.

lex ſpecialis

Id potius tenendum, quod L. III. ad Herenn Tullius, edit. Godofr. J. C. p. 38. litt. G nervoſe tradit: *convenit igitur in vultu* PUDOREM, & ACRIMONIAM *eſſe.* Pudoı quidem, ne minus quam decet, illius obſervantes videamur exiſtimationis, quæ debetuı auditoribus: quod dici vix poteſt, illorum animos, quanto alienet opere: acrimonia autem, ne animus rei præſentis gravitatem noı ſatis adcurate videatur expendiſſe.

§. 61.

Primum in vultu locum oculi tenent: quorum, qui eſſe adſpectus debeat, quanta vero & in commovendis auditoribus vis & efficacia Tullius exprimit, de oratore L. III. p. 137. edit Schrevel. col. 6. *In ore autem ipſo dominatu eſt omnis oculorum: quo melius noſtri illi ſenes, qui perſonatum, ne Roſcium quidem, magnopere laudabant. Animi eſt enim omnis actio,* & imago animi *vultus eſt,* indice oculi.

§. 62.

quis oraris debeat eſſe vultus?

Nam hæc eſt una pars corporis, quæ, quot animi motus ſunt, tot ſignificationes & commutationis poſſit efficere. - - - Quare oculorum eſt magna moderatio. Nam oris non eſt nimium mutanda ſpecies, ne aut ad ineptias aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculi ſunt, quorum tum intentione, tum remiſſione, tum hilaritate, motus animorum ſignificemus, apte cum genere ipſo orationis. EST

enim

enim ACTIO *quaſi* SERMO CORPORIS, quo magis menti congruens eſſe debet.

§. 63.

Sint igitur præterea oculi, nec in uno loco defixi ſemper, & irretorti Horat. od. 2. L. II. verſ. 73. qualeſ oculi?

Quisquis ingentes oculo irretorto
ſpectat acervos;

prodit enim id ſuperſtitioſam mentis, in aliquam rem, adtentionem: cum tamen, præter auditorum excitationem conſequendam, animum occupare noſtrum haud quidquam debeat: nec nutantes, aut temere circumacti; ſed recti, prudentis, conſtantis, audientibusque bene cupientis viri, indices. Quod de ſapiente Seneca Libr. de conſtant. ſap. cap. 5. p. m. 709. ſcribit: *adverſus apparatus terribilium rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat*: idem in oratore, quoties pro concione verba facit, propterea requiritur, ne, ullo ſe terrore præſentium, patiatur concuti.

Ut oculorum varius adſpectus variam animi affectionem indicat: ita pro diverſa orationis neceſſitate, oculi quoque diverſo modo regendi ſunt. Admirationem ſignificat, qui in terram oculos defigit, juxta illud:

dum ſtupet, obtutuque hæret defixus in uno:
Regina ad templum forma pulcerrima Dido
inceſſit &c.

Virg. Æneidi L. I. verſ. 499. 500. Oculi vagi, & nutantes laſciviam, aperti favorem, nimis diducti, ſtultitiam, torpentes, ſegnitiem, clau-

ſi, odium, ſemiclauſi, adulationem & inſidia arguunt.

§. 64.

aliæ de oculis regulæ.

Tollantur oculi, ubi de DEO, rebusqu cœleſtibus ſermo eſt; remittantur, in ea quo ties incidimus, quæ contemtim tractanda ſun In excitando vehementi affectu, ne langueant cave; ſed ut ardorem, ut ignem ſpirent, omr contende ſtudio. Mens ignea, & aliquo gra viore affectu commota, ipſo vultu ardorem pr ſe fert. Hinc de C. Mario Tullius in ora pro L. Corn. Balb. XXXV. T. II. edit. Godof p. 724. litt. D. *Quod ſi vultus C, Marii, vox, ſi ille Imperatoris* ARDOR OCULO RUM &c. Et quis perſequatur omnia? cu & *affectus, & exercitatio, & natura* cuju que, docere debeant, quæ nulla charta, qua talibet, capiat unquam.

§. 65.

de capite

Cæterum erecto pronuntiet orator capite nec ad tergum reclinato, nec prono in terrar Ita enim Quinctilian. inſtit. orat. L. XI. cap. p. 683. edit. Obrecht: *capitis illa ſunt, ut primo rectum, & ſecundum naturam. Na & dejecto humilitas, & ſupino arrogantia, in latus inclinato languor, & præduro ac r gente, barbaria quædam mentis oſtenditur.*

Caveat etiam, ne corporis ſuccuſſu, cap ipſum parum decore moveatur.

Idem ne gerat caput obſtipum, in hum rum reflexum, quod metuentis, aut adulant argumentum eſt juxta illud Horatii, L. II. ſat. verſ. 92. ſeq. *St*

Stes capite obſtipo multum ſimilis metuenti
Obſequio graſſare : mone ſi increbruit aura
&c.

Quaſſare vero caput, iræ gravioris ſignum eſt, ecundum Arati verſum 1207.

Superquatit ira furorque

§. 66.

Tectône vero capite facere verba conveniat ec ne ? quamvis eos romani, quos honoraturi erant, detecto exciperent capite; ſecundum llud Senecæ : epiſt. 64. p. m. 296. edit. Moell. *ſi conſulem videro aut prætorem, omnia, uibus honor haberi ſolct, faciam : equo diſiam, caput adaperiam, ſemita cedam:* tamen, d cujusqu e ea res gentis, in qua vivitur, moem, accommodanda eſt. an tegendum caput?

Reliqui capitis motus cum toto corporis geu conſentiant neceſſe eſt. Sic enim Fabius, oco ſupra citato :

Tum accipiat (caput) *aptos ex ipſa actione otus, ut cum geſtu concordet, & manibus c lateribus obſequatur. Aſpectus enim ſemer eodem vertitur quo geſtus, exceptis, quæ ut damnare, aut concedere, aut à nobis reiovere oportebit : ut illud vultu videamur verſari, manu repellere.*

Abſit etiam ob oratore comas jactandi illeida conſuetudo : meminerit enim moniti à Quinctiliano dati, inſtitut. orat L. XI. cap. 3. . 684. edit. Obr. *jactare caput comasque, & oncutientem rotare, phreneticum eſt.*

De cervice, cui caput impoſitum, ſequenia tradit laudatus ſcriptor p. 686.

Cervicem rectam oportet eſſe, non rigidam aut ſupinam. Collum diverſa quidem, ſed pari deformitate & contrahitur & tenditur: ſed tenſo ſubeſt & labor, tenuaturque vox ac fatigatur. Affixum pectori mentum, minus claram, & quaſi hebetiorem, preſſo gutture, facit

§. 67.

præceptum de fronte.

Frontis quoque hîc eſt facienda mentio: quam integram, nec, conſcientiæ quidem malæ ſtigmatis, inuſtam eſſe, oportet. Non audimus enim cum favoris ullo ſenſu, quos recentis memoria ſceleris adhuc ſuſpectos, vel prorſus exoſos, reddit. Nec intereſt, in re ſacra verſentur ejusmodi oratores, an in profana.

§. 68.

probatur

Quodſi enim vel teſtimonii in foro perhibendi aditu, per leges romanorum, prohibentur illi, quos ſceleris cujusdam labes commaculatos exhibet; uti lex. 13. ff. *de Teſtibus* haud obſcure ſignificat, verbis ſequentibus: *ad quorum* (Judicum) *officium pertinet, ejus quoque teſtimonii fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere:* quanto magis ab oratore, qui cauſſis patrocinatus eſt, veterum more, aut qui hodie aliorum quoque conſiliorum inſtinctu, ut conciliet, ut doceat, ut incitet, &c verba pro populo facit, criminis macula abeſſe debet?

§. 69.

probatur alia lex

Frontem quoque oſtendere juvat *verecundam*, ſed nec *ferream*, *nec mollem*. Sunt quos

quos, neſcio quæ, occupavit δυσωπία, ut ſint intempeſtive verecundi, ubi primum magnam hominum coronam intuentur, ſed inutiliter: juxta illud Horatii Sat. 6. L. I. verſ. 56. 57.

Ut veni coram ſingultim pauca locutus
Infans namque pudor prohibebat plura profari.

Sunt autem & ex parte altera, qui fronte exuta omni, quidvis audent pro concione eloqui. Fere ut Euripides in Medea Act. III. p. 148. edit. Stiblin.

γλώσσῃ γὰρ αὐχῶν τἄδικ' εὖ περιστελεῖν
τολμᾷ πανουργεῖν. ἔστι δ' οὐκ ἄγαν σοφός.

Nam quem facundia fretum prava & injuſta non pudet fucare, is audet etiam doloſe agere, nec valde ſapiens eſt.

Cæterum frons, ut obſervant omnes, quotquot animorum vultuumque characteres pervestigant, jam eſt exporrecta, hilaritatis præbens indicium: jam adducta & caperata, ſeveritudinis, vel & triſtitiæ affectum arguens. Ut Horatius habet: L. III. od. 29. verſ. 15. 16.

Sine aulæis & oſtro
Sollicitam explicuere frontem

Ex adverſo adſtringere frontem mœſtitiæ argumentum, ſecundum illud:

Quid me ſpectatis conſtricta fronte Catonem?

§. 70.

Hinc & oratorem frons condecorat exporrecta, in rebus lætis; ubi ſerias tractat, graves que, adducta, ſeu obducta, juxta illud: tertia lex de fronte

Scire velim quare toties mihi, Nævole, triſtis
Occurras fronte obducta, ceu Marſya victus?

U 3 ſed

ſed tamen ne migrentur limites : quum & caperata, quæ Epidici ſimilis apud Plaut: Act. V ſcen. 1. verſ. 3. p. m. 524.

Quid illuc eſt, quod illi caperat frons ſeveritudine?

& nimis remiſſa, ut eſt eorum, quibus curæ cordique nihil eſt, dicentem maxime dedeceat : ab utraque erit abſtinendum.

§. 71.

De ore Os nec ſit hians, eorum, qui ſtupent ritu queis vox faucibus hæret

- - - - pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor fruſtratur hiantes

Virgil. Æneid. L. VI. verſ. 492. 493. aut more hominum effuſorum in cachinnos. Ut eſt apud Nonium Marcellum Libr. IV. num. 228. p. m. 665.

Credo ridere hiantes

nec vero etiam compreſſis labiis verba licet opprimere, ut *mutila loquamur & hiantia*, *daß man die Worte verbeißt*, ſi hæc quidem Tullii verba in oratore T. I. edit. Gothofr. p. 354. litt. G. de pronuntiatione magis, quam de phraſibus ipſis, intelligenda ſunt.

Illud quoque ſedulo tenendum, ut oris decus conſerves, quod Fabius injungit, de inſtitut orat: cap. 3. L. XI. p. 680. edit: Obrecht: *Jam tuſſire, & exſpuere crebro, & ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, & oris humore proximos ſpargere, & majorem partem ſpiritus in eloquendo per nares effundere, etiamſi non utique ſint vocis vitia, quia tamen propter*

ter vocem accidunt, potiſſimum huic loco ſubjiciantur.

§. 72.

Qui vero auram ore apertius captat, ſeu erem per dentes, non ſine ſibilo, immittit; ujus buccæ turgentes & inflatæ conſpiciuntur, t ſunt *iratorum.* alia de ore regula

Quid cauſſa eſt, merito quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet, neque ſe fore poſthac
Tam facilem dicat.

Horat. L. I. ſat. 1. verſ. 20. 21. 22. vel ut ſunt aſtu elatorum, quibus quandoque ſonitus ex genarum inflatione erumpit, ſecundum illud Perſi.

Nec ſcloppo tumidas intendis rumpere buccas

at. V. verſ. 13. p. 79: is commiſiſſe ſe nôrit, quæ ab oratorum decoro abhorrent maxime.

§. 73.

Pervenio nunc ad illa præcepta, quæ, manuum, reliquarumque corporis partium, motui dirigendo, inſervire debent. Traxit ab hoc motu, niſi fallor, ſuam geſtus adpellationem. Cum enim, ut bene monuit *Sextus Pomp. Feſtus, in verborum ſignificatione, cum Pauli Diaconi epitome, conjuncta, in corpore auctor. latinor. edit.* 1595. p. 293. *geſtus* ſit, *quo indicatur, quid geratur, præter participium, quod à gerendo, deducitur;* & vero oratoris manus, vicinæque corporis partes, eo potiſſimum ſpectent, ut facti quadam ſimilitudine, manuum repræſentet motus id, de quo orator agit: perſpicuum eſt, hanc eloquentiæ, Tranſitus ad præcepta, de manuum motu.

quâ corpus ornatur, partem minime deſerendam, aut incultam relinquendam eſſe.

De manuum motu ſic pronuntiat Quinctilian: L. XI. cap. 3. p. 686. edit. Obrecht; *Manus verò, ſine quibus trunca eſſet actio ac debilis, vix dici poteſt, quot motus habeat: cum pene ipſam verborum copiam proſequantur. Nam cæteræ partes* loquentem adjuvant, hæ (*prope eſt ut dicam*) ipſæ loquuntur. *Annon his poſcimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, ſupplicamus, timemus, interrogamus, negamus, gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus oſtendimus? Non eædem concitant, ſupplicant, inhibent, probant, admirantur, verecundantur? Non in demonſtrandis locis atque perſonis, adverbiorum atque pronominum obtinent vicem?* ut in tanta per omnes gentes, nationesque, linguæ diverſitate, hic mihi omnium hominum communis ſermo videatur haberi,

§. 74.

Duo extrema fugienda.

Duas hîc iterum, ubi de manuum, reliquique corporis motu, ſermo eſt, extremitates fugiendas eſſe, tum ratio commonſtrat, tum præſtantium ſcriptorum auctoritas. Illud quidem: quid enim rerum naturas, earumque conſequentias intuenti, (harum enim perſpicientia ratiocinandi comprehenditur facultas;) clarius, quid manifeſtius eſt, quam in omnibus ſequendam

dam mediocritatis regulam auream ? Recte e-
nim Demipho apud Terentium:

Dum nimium dici nos bonos ſtudemus & benignos,
Ita fugias, ne præter caſam.

In Phormion. Act. V. ſcen. 3. verſ. 2. Recte Horatius in hypotheſi, quæ ad theſin revocari facile queant:

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti: caret invidenda
Sobrius aula

Libr. II. od. 10. verſ. 5. ſeq. p. m. 94. Recte Tullius offic. L. II. cap. 17. §. 8.

In his autem ipſis mediocritatis regula optima.

Mediocritas eſt, quæ inter duo extrema interjacet. Arduum vero negotium eſt, dignoſcere cancellos, quos ultra citraque nequeat conſiſtere rectum. Puto tamen ibi ſitos eſſe limites, qui à mediocritate extrema dividunt; ubi, ſive defectu, ſive exceſſu, nocetur ſcopo, quem ſibi habet mediocritas propoſitum. v. g. in mediocritate ponitur liberalitas, quæ tanta beneficii menſura alios afficit, ut ne ſibi noceat, nec aliis deſit: idque ex ſententia apoſtoli 2. Cor. 8. v. 13.

Οὐ γὰρ ἵνα ἄλλοις ἄνεσις, ὑμῖν δὲ θλῖψις. ἀλλ' ἐξ ἰσότητος ἐν τῷ νῦν καιρῷ τὸ ὑμῶν περίσσευμα εἰς τὸ ἐκείνων ὑστέρημα.

Jam vero in extremum incurrit, limites migrando, quisquis ita benefacit, ut vel ſibi de-

ſit, vel aliis. Ibi peccatur in exceſſu, hic in defectu.

Similis ratio eſt mediocritatis ad alias virtutes translatæ. Graviſſimum oratoriæ ſacræ negotium eſt, in comprobando adverſus flagitia zelo, adhibere mediocritatem.

Sed ubi, quæſo, ſunt limites, quos, ultro citroque, obſervare, quosque intra ſubſiſtere oportet? Nemo quippe eſt, ſive éxceſſu peccet, ſive defectu, quin, ſe mediocritatem aſſecutum eſſe, interſerat cauſſam.

Ille vero zelus mediocritatem attingit, qui pro redarguendis malis tantum facit, quantum hinc ſolida rerum cognoſcendarum ſcientia, earundemque in omni obvio caſu, adplicandarum prudentia permittit: illinc vero ſtudium bona promovendi, impediendique mala, injungit.

Qui in primo peccat, ζῆλον θεοῦ ἔχει, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν, *zelum pro DEO habet, ſed absque cognitione* ſolida: Rom. 10. v. 2. qui verò alterum negligit, is θέλει εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκὶ, ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ διώκηται: *vult placere externis, ne propter Chriſti doctrinam, exemplumve, male habeatur.* Gal. 6. v. 12.

Idem ſentias neceſſe eſt, de mediocritate geſtuum in movendis manibus. Omne conſilium eo refertur, ut placeas. Placere vero nec exceſſus poteſt, nec defectus: quorum utrumque auditores vel nimia quiete frigidos relinquit, vel nimia actione offendit: itaque & iſtud & hoc, pto extremis mediocritati fugiendis, habendum eſt.

§. 75.

§. 75.

Cum igitur in omnibus, tum maxime vero, in manuum motu, ſuffragante rationis dictamimine, orator, ne vel excedat, vel deficiat, ſtudioſius cavet. Videamus igitur, quæ, ex utraque parte, fugienda ſint, ut, de ſequenda mediocritate, tutius ferri judicium poſſit. quænam

§. 76.

In altera plaga, quæ dextrorſum ſpectat, in quam quisquis incurrit, modum tranſiluiſſe, cenſendus eſt, collocamus nimio faſcinatos geſticulandi ſtudio, hiſtrionum magis, quam oratorum ſimiles. Quorum geſticulationes Tullius egregie reprehendit: *nam & palæſtrici motus*, inquit, *ſæpe ſunt odioſiores & hiſtrionum nonnulli geſtus inepti non vacant offenſione, & in utroque genere, quæ ſunt recta, & ſimplicia, laudantur.* extremitas una quæ?

§. 77.

Succinit Quinctilianus L. XI. cap. 3. p. 687. edit. Obrecht: *Abeſſe*, ajens, *plurimum à ſaltatore debet orator, ut ſit geſtus, ad ſenſus magis, quam ad verba adcommodatus; quod etiam hiſtrionibus paulo gravioribus facere moris fuit.* teſtimonium contra illam

§. 78.

Ad tantum culmen imitandi artem veteres evexerunt hiſtriones, ut ob eam cauſſam SAPIENTES MANU adpellati fuerint. Nec tamen ſobrii oratores permiſere, ut ſuorum quisquam illorum ſibi exempla ſequenda proponeret, ſine grano ſalis. exemplum à ſaltatoribus priſcis petitum extremitatem oſtendit.

§. 79.

§. 79.

citatur Non ſine admiratione legas, quæ de ſapientibus manu, memoriæ Lucianus prodidit. T. I. de ſaltatione p. 809. edit. Amſtel. 1687: Τὸ δὲ ὅλον ἤθη καὶ πάθη δείξειν, καὶ ὑποκρινεῖσθαι ἡ ὄρχησις ἐπαγγέλλεται νῦν μὲν ἐρῶντα, νῦν δε ὀργιζόμενόν τινα, καὶ ἄλλον λελυπημένον καὶ ἅπαντα ταῦτα μεμετρημένως τὸ γοῦν παραδοξότατον τῆς αὐτῆς ἡμέρας ἄρτι μὲν Ἀθάμας μεμηνὼς, ἄρτι δε Ἰνὼ φοβουμένη δείκνυται. λεσβῶναξ γοῦν ὁ Μιτυλυναῖος ἀνὴρ καλὸς καὶ ἀγαθὸς χειρισόφους τοὺς ὀρχηςὰς ἀπεκάλει.

§. 80.

In univerſum autem ſaltatio pollicetur ſe mores & affectum demonſtraturam, & ſimulaturam, nunc quidem amantem, nunc iraſcentem aliquem introducens : mox alium inſanientem, alium mœrentem : atque omnia iſta ſervata menſura. Quare quod maxime eſt admirandum, eodem die Athamanta furentem, & Inonem metuentem repræſentat. - - - - Quocirca Lesbonax Mitylenæus, vir boneſtus ac bonus, ſaltatores MANU SAPIENTES appellabat.

§. 81.

applicatur regula de fugiendo extremo

Non convenit igitur oratori eſſe manu ſapienti. Parum decore, quin potius ridicule, manu idem illorum actiones imitatur, de quibus verba facit : ut ſi de arantium labore dicens, manûs, reliquique corporis motu, eorundem geſtus exprimeret. De qua re Quinctilianus: *& ii quidem, de quibus ſum locutus, cum ipſis vocibus*

vocibus naturaliter exeunt geſtus : alii ſunt, qui res ſignificant imitatione ; ut ſi ægrum tentantis venas medici ſimilitudine, aut citharœdum formatis, ad modum percutientis nervos, manibus oſtendas : quod eſt GENUS QUAM LONGISSIME IN ACTIONE FUGIENDUM.

Memini me audire verba facientem in illud: *τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου ; quis nobis ſaxum à ſepulcri aditu removebit ?* Marc. 16. v. 3. qui, manu, quousque potuit, prono, corpore, ad terram demiſſâ, ſpeciem præbebat hominis, ſaxum ingens, magno nunc molimine, volutaturi.

Qui geſtus profectò gratiæ & leporis parum, multum vero offenſionis habuit.

§. 82.

Quamobrem nec brachia jactet orator, eademque ultra caput attollat, ad modum pugnantis: applicatur ulterius

Talis prima Dares caput altum in prælia tollit
Oſtenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Virgil. L. V. Æneid. verſ. 376. ſeqq. neque cubiti commonſtratione pronuntiet : quod reprehendit his verbis Quinctilianus : *Vitioſe vero idem ſiniſtrum quaſi humerum petens in latus agi ſolet : quanquam adhuc pejus aliqui tranſverſum brachium præferunt, & cubito pronuntiant.*

§. 83.

§. 83.

extremum contrarium

Ne tamen in nos cadat illud poetæ tritum: *Stulti quum vitant vitia in contraria currunt*; committendum non eſt, ut ſecundum manus, cæterasve corporis partes, ſtemus immoti, formam duntaxat hominis, non vitam, repræſentantes. Hinc Quinctilianus: *manus vero, ſine quibus trunca eſſet actio, ac debilis, vix dici poteſt, quot motus habeant.* L. XI. cap. 3. p. 686. quæ verba manuum motu actioni vim accedere ſignificant.

Saxeus profecto orator eſt, qui una eademque perpetua μονοτονία, absque ulla actione, ſine capitis, reliquarumque corporis partium vel tantillo motu, orationem, præclare quidem elaboratam, frigide recitat. Tanti nimirum refert, non formam duntaxat hominis, ſed & vitam, concinno corporis motu, exprimere.

§. 84.

cur primo

Idem de reliquorum membrorum motu ſcribit: *emunctio frequentior non ſine cauſſa reprehenditur labra & porriguntur male & ſcinduntur - - & dentes nudant - - ore magis quam labris loquendum eſt: cervicem rectam oportet eſſe non rigidam aut ſupinam. Collum diverſa quidem ſed pari difformitate & contrahitur & tenditur. Affixum pectori mentum, minus clarum, & quaſi hebetiorem vocem, preſſo gutture, facit. Humerorum raro decens allevatio & contractio eſt. Breviatur enim cervix & geſtum quendam humilem atque ſervilem, & quaſi fraudulentum facit.*

Bracchii

Brachii moderata projectio remiſſis humeris, atque explicantibus ſe in proferenda manu digitis.

§. 85.

Hæc Auctor de reliquis membris, pergit cur ſecundo
tum, paucis interjectis, de manu: *cætera*, inquit, *partes loquentem adjuvant, hæ, prope eſt ut dicam, ipſæ loquuntur. Annon his* (manibus) *poſcimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, ſupplicamus, timemus, interrogamus, negamus, gaudium, triſtititiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus oſtendimus &c.*

§. 86.

Cum igitur tanta ſit manuum in ſignificando fugiendum?
efficacia, immotas certe eas eſſe non oportet, ne ſtatuarum, ne imaginum, videamur eſſe ſimiles.

§. 87.

Qui hinc inde ſcopuli declinandi ſint, diximus; de ipſa mediocritate ut nunc loquamur, mediocritas oſtendenda
res ipſa, & præſtitutus ordo, videtur depoſcere. Nihil autem illius inventione difficilius, ut in cæteris, ſic in præſenti quoque negotio.

§. 88.

Bene profecto Ariſtoteles ad Nicom. L. II. difficultas
cap. 9. & quæſt. 13. cum verſ. Riccobon. 1610. p. 104. ἐν ἑκάστῳ γὰρ τὸ μέσον λαβεῖν, ἔργον. Καθάπερ κύκλου τὸ μέσον οὐ παντὸς, ἀλλὰ τοῦ εἰδότος. οὕτω δὲ μὲν ὀργισθῆναι παντὸς. τὸ δὲ ᾧ, καὶ ὅσον, καὶ ὅτε καὶ οὗ ἕνεκα, καὶ ὡς, οὐκ ἔτι

παντὸς

παντὸς ὅτε ῥᾴδιον. *In unaquaque re medium aſſumere laborioſum ; quemadmodum circuli medium non cujuslibet : ſed ſcientis eſt, ſic & iraſci cujuslibet eſt, & facile ;* - - Sed cui, & quantum, & quando, & cujus gratia, & quomodo, non eſt cujuslibet neque facile.

In attingenda rerum mediocritate, uti ſumma eſt difficultas ; ſic ea omnis, quanta eſt, ad ſolidæ cognitionis penuriam refertur. Qui explicatiores rerum ſibi obverſatarum notiones conſequitur, is, computatis omnibus, facile, quod optimum factu ſit, & qua ratione extrema hinc inde mala declinari debeant, perſpiciet.

Si methodus de maximis & minimis, quam incomparabili artificio Leibnitius, & ambo Bernoullii locupletârunt, ex matheſi transferri in alias diſciplinas poſſet : dubium non eſſet, quin & in morum ſcientia, mediocritatis in omni perplexo caſu inveniendæ, paterent egregia artificia.

Mediocritas in rebus quippe nihil eſt aliud, quàm τὸ κράτιστον, ſeu quod opportunitatem maximam vel minimum incommodum *habet*. Verum enimvero, cum, quæ noſtras actiones circumſtant, tum propter naturæ varietatem, tum propter multitudinem inſignem, accurata determinatione figendi, adjumentum hucusque nullum detectum proſtet : nemini mirum videbitur, vaſto adhuc hiatu

hiatu laborare diſciplinas non mathematicas. Sed è diverticulo in viam.

§. 89.

Primo quidem modeſto orator rerum ſive ictarum, ſive agendarum, de quibus verba fa- :it, manibus ſuſcipiendo, utatur indicio. Si n cœleſtium mentionem incidat, tollat aliquan- iſper manum; ſi affectum in corde natum ſi- gnificaturus ſit, eandem admoveat pectori; preces fuſurus, utramque complicabit; plagam erræ, in qua quid factum, indigitaturus, vel iniſtrorſum vel dextrorſum, retrorſum, antror- um manum ferat ſuam. prima mediocritatis functio.

§. 90.

Inprimis tenendum, quod Quinctilianus .. XI. cap. 3. p. 688. edit. Obrecht: monet erbis ſequentibus: *Eſt & ille verecundæ ora- ioni aptiſſimus,* (geſtus) *quo quatuor primis eviter in ſummum cëountibus digitis, non pro- ul ab ore aut pectore fertur ad nos manus, & einde prona, ac paululum prolata laxatur. Ioc modo cœpiſſe Demoſthenem, creditur, in 'lo pro Cteſiphonte timido ſummiſſoque princi- io: ſic formatam Ciceronis manum, cum di- eret: ſi quid eſt in me ingenii, Judices, quod entio quam ſit exiguum. Eadem aliquatenus berius deorſum ſpectantibus digitis colligitur 1 os, & fuſius paulo in diverſum reſolvitur, t quodammodo ſermonem ipſum proferre vi- eatur.* ſecunda regula

§. 91.

Rem omnem ulterius declarat Cicero de o- atore L. III. p. 137. col. b. edit. Schrevel: ulterius illuſtrata.

omnes autem motus ſubſequi debet geſtus, non hic verba exprimens, ſcenicus, ſed univerſam rem, & ſententiam, non demonſtratione, ſed ſignificatione declarans, laterum inflexione hac forti, ac virili, non ab ſcena, & hiſtrionibus, ſed ab armis, aut etiam à palæſtra. Manus autem minus arguta, die hand nicht zu ſchnell hin und hèr ſchnurrend, digitis ſubſequens verba, non exprimens: brachium procerius projectum, quaſi quoddam telum orationis: ſupploſio pedis in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Den Fuß ein wenig gegen die Erde geſtoſſen.

§. 92.

de reliquis præcipi nequit

Reliqua iterum accuratius determinari non poſſunt. Suam quisque in illis ſequatur naturam ſingularem, in generalibus ad præcepta formatam, affectumque, quo hac vice commovetur: ad quas normas quisquis ſe compoſuerit, **corporis eloquentia artificioſa pollebit, ſed non affectata: naturam ducem ſectabitur, ſed non ſine artificio.**

Ars naturam excolat neceſſe eſt: natura vero artem reddat vitalem. Ars ſine natura affectatio eſt. Natura ſine arte ruditas. Naturam quatenus ſequeris TUAM, inimitabilis habeberis. Artem vero quatenus reſpicis, cujus præcepta, ex communi omnium hominum natura, formata novimus; tua licet & aliis premere veſtigia. Fac utrumque, quantum per te fieri poteſt, combines. Arti ſubſterne natu-

naturam, & naturæ ſuperſtrue artem. Illud fiet, ſi, quæ didiceris, ad naturam referas: hoc; ſi, quæ tibi naturâ inſunt, ad artis exigas præcepta.

§. 93.

Neſcio an veſtitus quoque oratori ſit commendanda ratio: quam ſi requiris, Tullii inſervire conſilium poterit. *Adhibenda eſt*, inquit, *munditia non odioſa, neque exquiſita nimis; tantum quæ fugiat agreſtem, & inhumanam negligentiam. Ea ratio eſt habenda veſtitus: in quo ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt.* In offic. L. I. cap. 36. §. 5. 6. p. m. 352. Et luxus nimirum declinari debet, & ſordities; dignitas adſciſcenda eſt, non muliebris venuſtas: *venuſtatem enim muliebrem ducere debemus; dignitatem virilem.* Verba iterum Ciceronis ſunt in offic. L. I. c. 36. §. 1. — regula de veſtitu.

§. 94.

Hæc ad corporis eloquentiam comparandam vel facienda vel omittenda: nunc reliquum eſt, in præceptorum horumce rationes ut inquiramus, quod eſt hujus tractationis — tranſitus ad cap. ſeq.

Cap. II.

DE HORUM PRÆCEPTORUM RATIONIBUS.

§. 95.

Ad profundam cognitionem non ſufficit habere perſpectum, quid verum falſumque, quid — neceſſitas hujus capitis

agendum ſit omittendumve: quin potius refert etiam ſcire, CUR id verum falſumque ſit, CUR agendum omittendumve?

Prior cognitio à philoſophis vocatur clara, poſterior diſtincta. Illa plerumque hiſtorica, hæc philoſophica. Illa nititur experientia, quæ in percipiendo rerum effectu ſubſiſtit, hæc fundatur in ſcientia, quæ ad rerum cauſſas indagandas progreditur.

Illa exoterica, hæc acroamatica. Illa tyronibus conveniens, hæc provectioribus condigna.

§. 96.

rationum diſcrimen

Regularum igitur ad impetrandam corporis eloquentiam præſcriptarum fontes aperiemus: quos partim in naturæ humanæ phænomenis, quotidie obviis, notiſſimisque in vulgus; (oportet enim rationes & rebus notiores eſſe, & connexas) partim in illorum φαινομένων conformitate quadam, mente & animo ſeorſum cogitata, perque id artificium ad veritatem philoſophiæ generalem revocata, inveniemus, & inventos admirabimur, DEO ſapientiæ ac potentiæ gloriam, magnopere debitam, lubentes inde reddituri.

§. 97.

illuſtratur

Illæ rationes à phænomenis ipſis petitæ, ſunt propiores, vel cuique obiter animum adplicanti obviæ: hæ vero à φαινομένων conformitate, animo ſeorſum conſiderata, deſumtæ, ac philoſophiæ faſtigium non infimum nos evehunt

hunt : idcoque paulo ſunt remotiores, nec, niſi oculo mentis intentiore, diſtinguendæ.

Phænomena, à quibus eloquentiæ corporis rationes petuntur, hæc ſunt : ſuavitate vocis, actionis ſplendore, concinnitate geſtuum, & gravitate perſonæ dicentis &c plurimum commoveri mortales per orbem omnes. Rationes autem horum φαινομένων: cur videlicet geſtuum, aut vocis, cum ſententia orationis, conſenſu, homines tanto delectentur opere? ſunt altioris indaginis, ſuo tamen loco evolvendæ.

§. 98.

Tres potiſſimum oratoriæ fines ſunt : quod Tullio teſte habemus compertum : qui de oratore L. II. p. 103. column. a. edit. Schrevel: ita diſſerit : *mea totius orationis, & iſtius ipſius in dicendo facultatis, quam modo Craſſus in cælum verbis extulit, tres ſunt rationes, ut ante dixi : una* conciliandorum *hominum, altera* docendorum, *tertia* concitandorum. fundamentum nexûs

Triplici huic oratoriæ fini, quem Tullius propoſitum habuit, inſerviunt argumenta ejusdem naturæ, alia perſonalia, alia realia. Perſonalia jam conciliant perſonam dicentis : jam vero commovent perſonas audientium. Realia vel docent quid verum, falſumve ſit : vel perſuadent bonum aut malum, quod vel agendum, vel omittendum.

nexus ipſe oratoriæ actionis cum phænomenis, ſeu rationibus.

§. 99.

Atqui vero actio oratoria, ſeu quod tantundem ſonat, eloquentia corporis, maximam vim habet ad conciliandos, concitandos, interdum ad docendos quoque: ergo corporis eloquentia idonea ratione nititur.

probatur nexus

§. 100.

Quodſi verum eſt, (eſt autem ſane) actionem oratoriam plurimum valere ad commovendos homines: dubitari de prioris verſus concluſione nequaquam debet.

Explorato nempe credendum, corporis eloquentiam, mentis eloquentiæ maximum adjicere pondus.

probatur per ſingula, primo in actione

§. 101.

Jam vero doceri tum generatim poteſt, de actione oratoria, in ſe ſpectata, quod in perſuadendis animis plurimum poſſit; tum de quibusvis ejusdem claſſibus, voce, vultu, manuum motu, &c quod idonea rerum harumce conformatio, maximum in flectendis auditoribus pondus habeat: eodem igitur negotio, quo demonſtrari primum poteſt, etiam ſecundi intelligetur fundatiſſima veritas.

Primum illud continuo demonſtratum ibimus, allegatis præſtantiſſimorum doctorum teſtimoniis. Antea vero, quam illa proferamus tenendum eſt, nihil eſſe corporis eloquentia ad triplicem Ciceronis finem, conciliandum docendum, concitandum, accommodatius. Vox enim conciliat, manus docent

cent, vultus concitat. Illa jucundam ſono mentis affectionem gignendo iſtæ locum, tempus, modum rei indicando: hic denique, tanquam affectuum ſedes, quibus jamjam occupatur, ſimiles in auditoribus provocando.

§. 102.

Expendamus, quæſo, quam efficax ſit actio oratoria, ſpectata generatim. Prodeat in rei teſtimonium ſummus philoſophus Ariſtoteles, qui Rhetoric: L. III. cap. 1. §. 7. Τρίτον δὲ τούτων, inquit ὃ δύναμιν ἔχει μεγίστην. οὔπω δ' ἐπικεχείρηται, τὰ περὶ τὴν ὑπόκρισιν. *Tertium, quod horum omnium vim habet maximam, ſed nondum à quoquam pertractatum, quod ad actionem facit.* à teſtimonio Ariſtotelis.

§. 103.

Ne forte philoſopho in oratoria non magnopere credendum cauſſeris, quamvis credendum ſit: en tibi clariſſimi oratoris, Iſocratis, auctoritatem! In oratione ad Philipp. p. m. 206. edit. Hier. Wolff. in hanc rem his verbis utitur: ἐπειδ' ἂν γὰρ ὁ λόγος ἀποστερηθῇ τῆς τε δόξης τοῦ λέγοντος, καὶ τῆς φωνῆς καὶ τῶν μεταβολῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις γιγνομένων, ἔτι δὲ καὶ τῶν καιρῶν καὶ τῆς σπουδῆς, τῆς περὶ τὴν πρᾶξιν καὶ μηδὲν ᾖ τὸ συναγωνιζόμενον καὶ συμπεῖθον, ἀλλὰ τῶν μὲν προσειρημένων ἁπάντων ἔρημος γένηται καὶ γυμνὸς, ἀναγινώσκῃ δέ τις αὐτὸν ἀπιθάνως καὶ μηδὲν ἦθος ἐνσημαινόμενος ἀλλ' ὥσπερ ἀπαριθμῶν: εἰκότως οἶμαι φαῦλος εἶναι δοκοίη τοῖς ἀκούουσιν. à teſtimonio Iſocratis

§. 104.

Nam ſi oratoris & auctoritate, & voce, & actionis varietate, in eloquentiæ ſtudiis uſitata, deſtituatur oratio, atque etiam occaſionibus & ſtudio gerendæ rei, nihilque ſit, quod vires augeat, & ad perſuadendum adjuvet, ſed cum his omnibus careat, tum vero inepte, nulloque cum affectu, ab aliquo recitetur, qui verba quodammodo numeret: ea contemni ab auditoribus, quis miretur?

§. 105.

quod validum eſt. Quantum oratoriæ actioni Iſocrates tribuerit, quantum ipſi efficaciam convenire judicaverit, ex his luculenter cognoſcimus. Quod ſi illorum apud nos auctoritas meretur fidem, qui multo rerum uſu periti fuerunt: quidni exercitatiſſimo oratori, de actione pronuntianti, præbeamus aſſenſum?

Accedit ad Iſocratis auctoritatem Quinctilianus, qui inſtitut. orat. L. XI. cap. 3. p. 683. edit. Obrecht: ſequentia habet: *nec mirum ſi iſta, quæ tamen in aliquo poſita ſunt motu, tantum in animis valent; quum pictura, tacens opus, & habitûs ſemper ejusdem, ſic in intimos penetret affectus, ut ipſam vim dicendi nonnunquam ſuperare videatur.*

Pergit deinceps: *contra ſi geſtus ac vultus ab oratione diſſentiant*, triſtia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes: non auctoritas modo verbis, ſed etiam fides deſit.

Decor

Decor quoque à geſtu atque motu venit. Ideoque Demoſthenes grande quoddam intuens ſpeculum componere actionem ſolebat.

§. 106.

Suo id exemplo nos condocefacit Demoſthenes. Plutarchus quippe in X orator: vitis T. II. op. edit. Xyl. p. m. 845. litt. A. ita ſcribit: ἐκπεσὼν δὲ ποτε ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας καὶ ἀθυμῶν, ἐβάδιζεν οἴκοι. συντυχὼν δὲ αὐτῷ Εὔνομος ὁ Θριάσιος, πρεσβύτης ἤδη ὤνπροετρέψατο τὸν Δημοσθένην. Μάλιϛα δὲ ὑποκριτὴς, Ανδρόνικος, ἐιπὼν ὡς οἱ μὲν λόγοι καλῶς ἔχοιεν. λείποι δὲ αὐτῷ τὰ τῆς ὑποκρίσεως - - - ὅθεν ἐρομένȣ αὐτὸν τί πρῶτον ἐν ῥητορικῇ, εἶπεν, ὑπόκρισις. καὶ τί δεύτερον, ὑπόκρισις. καὶ τί τρίτον, ὑπόκρισις. exemplo Demoſthenis.

§. 107.

Quodam tempore, cum ejectus è concione, mœſtus domum abiret, Eunomus ei Thriaſius occurrit jam ſenex, atque cohortatus eſt. (Demoſthenem) *Maxime autem confirmatus eſt ab Andronico hiſtrione, eique operam dedit, edoctus ab eo, orationes ſuas bene habere, ſed actionem deeſſe. - - Itaque interrogatus, quid* primum, quid ſecundum, quid tertium in arte eſſet oratoria, ſubinde reſpondit: ACTIO.

Cave exiſtimes, hæc tantum artificia ethnicis digna fuiſſe, qui ſpiritu ſancto vacui, nulla alia re efficaciori moveri potuerint, niſi hac externa, umbratili, aures oculoſve tantum titillante, non animum, non pectus, majori omnino vi percellendum.

Nam etſi chriſtiani nunc ſumus, homines tamen ſumus, & quidquid in homines cadere poteſt, ne à nobis quidem alienum eſſe, putandum eſt.

Jam vero hominum ea natura eſt, ut res externæ, per ſenſus mentem ſubeuntes, maximam commovendi eorum animi, facultatem habeant.

Fidibus quum ſcite canentem Saulus rex Davidem audit, ab intemperie affectuum, quam cacodæmon excitaverat, ad recipienda ſolatia, mentis tranquillitati ſervientia, peropportune revocatur. 1. Sam. 16. v. 23.

Quidni, in actione oratoria, vocis dulciſſima ſuavitas, decor geſtuum, vultusque eximia, orationique congrua dignitas, quæ virtutes omnes animos audientium mirifice per ſenſus externos occupant atque demulcent, præſtare idem, & ſenſuum impedimenta, quæ in audiendo DEI verbo mortalibus oppoſita eſſe deprehenduntur, removere poſſint?

Cum eloquentia corporis auditorum externos ſenſus maxime afficiat, eosdemque auditores oratori conciliet; cum omnis fere remora, quam verbo DEI objicimus, à ſenſuum deſultoria levitate oriatur: perſpicuum eſt, ſi hos velut inimicos prius in partes traxerit orator, pro concione ſacra, non exiguum ſermoni ejus pondus acceſſurum.

Quis non majorem, adtendendi aliorum ſermonibus, difficultatem ſentit, ubi corpus friget,

get, ubi doloribus vexatur, ubi aliena vehementer ſenſus noſtros irritant, ubi offenſione quadam animi conturbatur: quam ubi nihil ejusmodi ſenſus occupat. Jam vero hæc impedimenta omnia vinci illa voluptate, quam ſenſibus præſtat corporis eloquentia, ipſa condocemur quotidiana experientia: niſi forte externus dolor tantus ſit, ut nullum, quod in ſenſus cadit, oratoris decorum, in leniendo eo quidquam efficere poſſit.

Sufficit interea, audientium ſenſus, facile ἀλλοτρίοις occupandos, per corporis eloquentiam muniri, ne aliena ſubire queant.

§. 108.

Cum actio igitur oratoria in movendis auditorum animis omne punctum ferat; mirum non eſt, orationes ſcriptas, ſine actione recitatas, effectu in audientium mentibus prorſus caſſas eſſe. Teſtem voco locupletem, Stagiritam philoſophum, rhetoric. L. III. cap. 12. §. 8. p. m. 227. διὸ καὶ τὰ ὑποκριτικὰ, ἀφῃρημένης τῆς ὑποκρίσεως, οὐ ποιοῦντα τὸ αὐτῶν ἔργον. *Quamobrem illa, quorum vis in actione poſita eſt, ſublata actione, cum ſuo munere non funguntur, inania ſunt.* teſtimonio Ariſtotelis

§. 109.

Quæ ratio actionis generatim conſideratæ, ea etiam conformationis ſpeciatim illius, quæ ad vocem, vultum, reliquosque corporis geſtus pertinet: quorum nihil eſt, rite accommodatum, quin in hominum animis conciliandis, vel concitandis, maximam vim exerceat. tranſitus ad ſpecies oratoriæ actionis.

§. 110.

§. 110.

Faciamus ejus rei periculum in expendenda viva voce, quæ quantum litteræ duntaxat ſcriptæ præſtet, omnium hominum communi ſenſu confirmatur. Nam tametſi, ſi durationem, ſtabilemque rei memoriam ſpectes, vox ſcripta, vivæ, quæ ubi primum ore exiit, diſſipatur in auras, omnino ſit anteponenda: unde illud:

Et cum rupta ſitu Meſſalæ ſaxa jacebunt,
Altaque cum Licini marmora pulvis erunt
Me tamen ore legent, & ſecum plurimus hoſpes
Ad patrias ſedes carmina noſtra feret.

Martial. epig. 3. L. VIII. p. 545. edit. Rader. cui & Cicero ſuccinit, in orat. pro Sylla c. 16. *Litteræ fidiſſimæ ſunt memoriæ cuſtodes; litteræ poſteritatis cauſſa repertæ ſunt, quæ ſubſidio oblivioni eſſe poſſunt:* tamen, ſi præſentem in movendo, delectando, conciliando, animo, efficaciam reſpicias; ſcriptam vox viva innumeris poſt ſe paraſangis relinquit.

§. 111.

probatur à teſtimonio.

Teſtis erit Plinius junior, qui epiſt. 3. L. II. §. 5. 6. 7. ſeq. ita diſſerit: *dices:* habeo hic quos legam, non minus diſertos. *Etiam: ſed legendi ſemper occaſio eſt, audiendi non ſemper. Præterea multo magis, ut vulgo dicitur, viva vox afficit. Nam licet acriora ſint, quæ legas, altius tamen in animo ſedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis affigit: niſi vero falſum putamus illud Æſchinis, qui quum legiſſet Rhodiis orationem*

De-

Demoſthenis, admirantibus cunctis, adjeciſſe fertur: τί δὲ ει αὐτȣ̃ τȣ̃ θηρίȣ, τὰ αὐτȣ̃ ῥήματα βοῶντος ἀκηκόοντε: quid ſi ipſius viventis, verbaque ipſius loquentis audiſſetis? *Et erat Æſchines, ſi Demoſtheni credimus,* μεγαλοφωνότατος. *Fatebatur tamen longe melius eadem illa pronuntiaſſe ipſum qui pepererat.* Hucusque Plinius.

§. 112.

Quæ omnia huc tendant, ut, tot illuſtrium oratorum exemplis compulſi, fateamur, in viva dicentis voce, commode attemperanda, permultum ad id intereſſe, ut eloquentia finem; qui in perſuadendo collocatur, facilius conſequamur. **cui bono efferatur?**

§. 113.

Vox ſcripta nimirum inanimis, & veluti mortua, per ſe non habet, niſi vim ſignificandi ſenſa ſcribentis: vox autem ore pronuntiata, quoniam viva eſt, languidos excitando, cum illis tanquam vitam communicat, ideoque voluptatis ſinceræ eſt efficiens. Litterarum chartæ mandatarum figura ex ſe eſt ſine motu: quas ore profers, cum linguæ motu, per articulatum ſonum formentur, ejusmodi ſunt, ut aëris, illo motu verberati, interventu, ad aures penetrent, varia jucunditate, & jucunda varietate, easdem moveant, atque delectent. **vocis ſcriptæ & vivæ comparatio**

§. 114.

Quæ igitur de flectenda ad ſuavitatem voce, & pronuntiatione, in antecedentibus præcepta expoſita fuerunt; ea non temere, aut per otium in- **quid inde ſequatur?**

injuncta, ſed ob idoneas rationes monſtrata: quòd iis neglectis, in animo audientium non facile conſequimur, quod conſequendum tamen eſſe, ratio dictitare ſolet.

Neque hîc corporis eloquentiæ virorum *θεοπνεύστων* exempla obſtant.

Nam tametſi illa criminatio pſeudapoſtolorum quâ Paulum exagitârunt, his verbis ſignificata: 2. Cor. 10. v. 10. *ἡ δὲ παρουσία τοῦ σώματος ἀσθενὴς, καὶ ὁ λόγος ἐξουθενημένος. præſentia corporis infirma, & ſermo contemtus,* innuere videatur, in Paulo hoc donum deſideratum fuiſſe:

tamen ſciendum eſt primo, Paulo licere, homini divinitus adflato, quod nobis, qui tanta prærogativa deſtituti ſumus, minime licet.

Quid? quod ſecundo, ille corporis eloquentia carere nequeat, cujus totum pectus vehementiſſimo ejus rei, de qua dicturus eſt, affectu perfunditur: id quod de ſe Paulus teſtatur 2. Cor. 11. v. 29. Nam ſi, teſte Chriſto, cordis ubertas, oris ſermoniſque copia proditur: ſane & reliqui affectus animi, cætera corporis membra, immota non oſtendent.

Sic nec eloquentiæ corporis obeſt illud 2. Tim. 4. v. 3. *erunt κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν, quibus prurient aures:* neque enim hæc verba de actione oratoria, quæ ſenſus afficit, magis, quam de doctrinis, aſſentandi cauſſa, ad auditorum guſtum, accommodatis, intelligenda ſunt.

§. 115.

cationes Pergimus ad inveſtigandas rationes eorum præ-

præceptorum, quæ ad recte componendum oratoris VULTUM pertinuerunt. Ex humanæ naturæ phænomenis, i. e. ex omnium, quotquot ſana præditi ratione ſunt, hominum actionibus, latiſſime patens veritas, nullo in partem contrariam exemplo limitanda, elicitur, ut, **cum Oratoriæ ſcopus PERSUASIO ſit, nemini quisquam perſuadere poſſit, qui ſpeciem non perſuaſi, de eadem re, ipſe præ ſe ferat.** præceptorum de vultu, à certa obſervatione.

§. 116.

Quam enim de re perſuaſionem te non habere ſignificas, ſive factis, ſive aliis indiciis; tametſi te eâdem affici oratione mentiaris: eam tu, quâ quæſo ratione, perſuadebis alteri, i. e. quomodo, tibi ut credatur, exigas, cum idem te ipſum non credere, haud obſcure præ te feras? Hoc enim perinde eſſet, ac ſi quis profiteatur: **equidem me mentiri non diſſimulo:** *ſed, ut* **mentienti credas, peto.** Mentienti autem, quem falſa proloqui ſcias, tribuere fidem, eſt credere, quod ſentias, non credendum: quibus ideis aliæ in mundo nullæ repugnantiores fingi poſſunt. altius repetitur obſervatio.

Minus igitur cohærentia agit, qui aliud vultu ſignificat, reliquoque geſtu, aliud autem verbis. Ineptus eſt, qui de tragicis ridens loquitur; de graviſſimis DEI pœnis verba, ſine horroris ſancti ſignificatione, facit; de vitæ æternæ incomparabili gloria, frigide, jejune, ſine dulcedinis illius prægustatæ argumento, non magnifice, non ſplendide, non excitato, non hilari,

hilari, non ſereno, nec, Moſis ad inſtar, velı radiante vultu, pronuntiat.

Una hîc, uti fere, in omni eloquentiæ coı poris ambitu, eſſe ſolet, regula eſt: INDUI ILLUM AFFECTUM, QUO COMMO VERE AUDITORES CUPIS. EA AGE QUÆ HUIC AFFECTUI CONSENTA NEA SUNT.

§. 117.

applicatur ad aſſignandam rationem præcepti de vultu

Stat igitur ſententia, velut marpeſia cautes cavendum oratori, ne ex animi ſenten tia non videatur proloqui. Sed quomo do de animi ſententia judices, niſi ex vultu quod confeſtim probatum dabimus: ergo ora tori vultûs habenda ratio, neque illæ quiden regulæ, quas ſupra tradidimus, ei inſerviente fini, ſine graviſſima præſcriptæ cauſſa ſunt Quod ipſum illud eſt, cujus probandi cauſſa quæ hîc legis, diſſerimus.

§. 118.

cautela in iſthac obſervatione

Quamvis autem veritas obſervationis: *nemini perſuadeas quidquam, cujus te perſuaſionem nondum conſecutum oſtendis*, ex primc repugnantiæ principio demonſtrari potuerit: §.116. tamen illa non patrocinatur errori hominum, à ſenſu negante, ad ſenſum ajentem, male ratiocinantium. Uti nemini ea perſuadeas, quorum perſuaſione te nondum affici, palam ſignificas; uti proin recte ratiocinaris: credendum ei non eſt, qui, quod dicit, ipſe non credit: ſic tamen fallit propoſitio

in

in affirmantem transformata: qui, quæ loquitur, ex animi ſententia profert: ei fides dicenti tribuenda eſt.

Hoc errore tum plerumque decipimur, ſi quem auctoritatis penes nos maximæ, ac de cujus pietate optima quæque ſentimus, verba facientem animadvertimus. Fallit profecto νόημα: pius eſt, ex animi loquitur ſententia: ergo vera, ergo optima loquitur.

§. 119.

Eſt hoc ſophiſma etiam eorum, qui oratoriæ plus, quam veritati, tribuunt; qui ab illa philoſophiam ſecernunt; qui affectu dicentis, formæ dignitate, ſuavitate pronuntiationis, gravitate officii, auctoritate teſtimoniorum, magis capiuntur, quam argumentorum convincentium ponderibus. à quibus negligatur?

Hunc errorem illi errant, qui plus affectuum dulcedini, quam veritatis ponderi tribuunt: qui plurimum ſentiunt, intelligunt parum: qui non tam quid, quàm à quo dicatur, penſi habent: qui magis externis delectari, quam rerum interno de valore erudiri cupiunt.

§. 120.

Quemadmodum igitur prior veritas, quantum oratoria actio poſſit, commonſtrat; ita poſterior, quantum non debeat efficere, nos docet. Sicuti illa actionis oratoriæ vim oſtendit; ſic hæc ejusdem actionis limites indicat. Uti illa eo valet, ut audi- quid tamen præſit?

tores commoveantur; ſic hæc eo pertinet, ne commoti decipiantur.

§. 121.

explicatur ulterius.

Quibus præmiſſis, patet, quamobrem oratoris ſit, de componendo ad omnia recte vultu cogitare: qui etſi, apud prudentes actionum æſtimatores, de animi affectione teſtari exploratò nequeat; quod Salluſtius, in hypotheſi, ad romanos relata, pereleganter exprimit: Bell. Catilin. cap. 10. p. m. 18. *ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit: aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promtum habere, amicitias, inimicitiasque non ex re, ſed ex commodo æſtumare;* MAGISQUE VULTUM *quam ingenium*, BONUM HABERE: tamen quoniam, poſitô vultûs ab eloquentia diſſenſu, id quidem certe colligitur, non eſſe natam in animo orationem; quamvis, ſi vultus conſentiat, nonniſi veroſimiliter, de animi ſententia conjicere poſſis; hanc certe ob cauſſam, ne impoſtores videamur, *vultus idonea conformatio negligenda non eſt.*

§. 122.

quo ſenſu capienda teſtimonia ſeq. de conſenſu animi & vultûs?

Eo pertinent teſtimonia ſcriptorum, jamjam alleganda, quæ ex vultu animum eſſe metiendum dictant: à diſſenſu enim vultus, orationisque, ad contrariam animi affectionem exploratò; à conſenſu utriusque autem ad animi harmoniam, noñiſi vero ſimiliter, ratiocinandum eſſe, docent.

§. 123.

teſtimo-

Agedum audiemus illa teſtimonia. Ipſa vocabuli

cabuli adpellatio, VULTUS, quid aliud indicat, quàm facie aliquando ſignificari, quod homo VULT? Ita enim Auſonius Popma de different: verb. L. II. in voc. (FACIES) p. 197. edit. J. Frid. Hekel. *Facies eſt naturalis oris ſpecies, quæ eadem ſemper manet; vultus eſt habitus faciei adſcititius, qui pro motu animi & voluntatis mutatur.* nium Auſonii Popmæ

§. 124.

Idem fere docet Nonius Marcell. cap. V. p. 724. edit. auctor: lat. in unum corp. redact. 1595. num. 21. *Vultus & facies*, inquit, *hoc diſtant. Vultus eſt voluntas, quæ pro motu animi in facie oſtenditur: facies ipſa oris ſpecies.* Nonii Marcelli

Cum igitur affectus in vultu plerumque reſideant: cum ea natura hominum ſit omnium, quotquot diſſimulando non tegere conantur, quod alta mente repoſtum volvunt: ſequitur, oratoris eſſe, naturæ huic inſtinctui cedere locum, &, quantum per finem eloquentiæ licet, omnimodo eundem excolere,

§. 125.

Significantius Cicero L. III. de oratoribus T. I. edit. Gothofr. p. 291. litt. G. *Quare*, ait, *in hac noſtra actione ſecundum vocem vultus valet: is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus quæ ſunt actionis, ineſt quædam vis à natura data: quare etiam hac imperiti, hàc vulgus, hâc denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent, niſi eum, qui ejusdem linguæ ſocietate conjunctus eſt.* teſtimonium Ciceronis

§. 126.

teſtimonium Plinii & objectionis ſolutio

Eodem accedit Plinius Hiſt. nat. L. XI. cap. 37. p. 203. lin. 19. ſeq. *frons & aliis :* (animantibus) *ſed homini tantum triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeveritatis index.* Etiamſi enim, quo minus animum ex vultu ſemper cognoſcas, obſtet ſæpius ſimulatio ; unde Curtius L. VI. cap. 7. §. 33. *ad hoc Philotas, haud ſane trepidus, ſi animus vultu æſtimaretur :* tamen exſiſtunt complures caſus, ubi plus vultu, quam verbis loquimur. Exemplo eſt id, quod Cornelius Nepos memoriæ prodidit : Imperator. IV. cap. 5. §. 1. p. m. 118. *è vultu cujusdem Ephori, qui cum admoneri cupiebat, inſidias ſibi fieri, intellexit.*

Hinc ſcite Tullius, orat. in L. Calpurn. Piſon. XXXVII. T. II. edit. Godofr. p. 741. litt. A. ſcribit : - - *vultus denique totus,* QUI SERMO QUIDAM TACITUS MENTIS EST, *his in errorem homines impulit, his eos, quibus erat ignotus, decepit.*

Alibi, in orat. II. pro Roſcio Amerin. T. II. edit. cit. p. 27. ſub fin. ita pronuntiat : *etenim ſi id, quod præclare à ſapientibus dicitur* VULTU SÆPE LÆDITUR PIETAS : *quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum &c.* Ex quibus intelligitur, non verbis tantum, ſed & vultu injuriam aliis fieri poſſe. Adeo verum eſt, nos vultu non minus ac verbis loqui.

§. 127.

vultus non cum actu vo-

Et ſi vel maxime vultus non ſubinde animi quendam actum, quo in hoc aut iſtud fertur.

vel & ab eo averſatur, indigitat; propenſionem tamen, ad id faciendum, prodere videtur. Ob quam cauſſam, qui vultu ſemper ad riſum, vel ad moroſitatem, compoſito, adparent, eorundem affectuum proclivitate uti putantur. Inde, quæ à Platone Ariſtotelem diviſit, inimicitia. Vultu Ariſtoteles cavillationem & irriſionem præ ſe ferebat. Ælian. var. hiſt. L. III. cap. 19. p. 204. edit. Joach. Kuhn. *καὶ μωκία δέ τις ἦν αὐτοῦ περὶ τὸ πρόσωπον. & irriſio quædam in ejus vultu comparuit.*

luntatis, ſed & proclivitate conſentit.

Faciei enim habitus adſcititius, ſæpe repetitus, tandem ipſa conſuetudine, in alteram naturam abit, ut ex conſtanti ejusmodi adſpectu, non minus animi liceat conjicere propenſiones, ac ex vultu quodam temporario, præſentis affectus indice, motus cognoſcitur animi.

His conjecturis nititur phyſiognomia, quæ ex infinita vultuum diverſitate, quam fruſtra conditam nemo dixerit, de animi proclivitatibus argumenta capit.

Sed cum in hominis animum, educatio, vitæ genus, conſuetudo, converſatio cum aliis, quos paulatim imitari diſcimus, dignitas, facultates, ſexus, ætas &c mirifice influant: nemini videbitur mirum, in tanta varietate, φαινομένων omnium certas conformitates, i. e. regulas ſtabiles, quibus ratiocinia ſuperſtrui firma poſſint, nondum potuiſſe inveniri.

§. 128.

probatur teſtimonio

Ex eodem fonte manat, quod Quinctilianus, L. XI. cap. 3. p. 684. edit. Obrecht: per erudite obſervat: *dominatur autem maxime vultus. Hoc ſupplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc triſtes, hoc hilares, hoc erecti, hoc ſummiſſi ſumus: hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc ſpectant etiam antequam dicamus: hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plura intelligimus*, HIC EST SÆPE PRO OMNIBUS VERBIS.

§. 129.

exemplo

Quid? quod ſummi principes adeo ſe oris verecundia commendari vellent, ut ex ea animi affectionem ab omnibus judicari præoptarent. Sic enim Domitianus apud Sueton. cap. 18. p. m. 297. *usque adhuc certe animum meum probaſtis & vultum.*

§. 130.

in ætate tenera

Ferreo munitus vultu ſit, oportet, cujus animi παθήματα non aliquando certe erumpant. Non dicam de ætate tenera, quæ per imbecillitatem naturæ, impedire non poteſt, quo minus per vultum animi motus frequentius prodantur: cujus rei exemplum Marcelli filius præbet, de quo Plutarch: in Marcell. T. I. op. ed. Xyl. p. 299. litt. A. teſtatur, quod attentatæ pudicitiæ, ſigna in vultu luculenta, ediderit: ἔδοξε μεταπέμπεσθαι τὸν παῖδα τῇ βουλῇ. παραγενομένου δ' ἰδόντες ἔρύθημα, καὶ δάκρυον, καὶ μεμιγμένον ἀπαύστῳ θυμουμένῳ τὸ αἰδούμενον, οὐδενὸς ἄλλου δεηθέντες τεκμηρίου κατε-

ψηφί-

ψηφίσαντο &c. *Placuit ſenatui puerum accerſere ; cujus ruborem & lachrymas præſentis, mixtumque flagrantiſſima ira pudorem, quum cernunt Patres, nullo ultra quæſito indicio damnant &c.*

§. 131.

De adultis tantum, firmiorisque ætatis viris loquar, qui ne ipſi quidem ſemper, & ubique, effervescentes animi motus, vultu diſſimulare poſſunt. Sane Tullius in hanc rem ita diſſerit: *licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt : quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatusque mutantur.* firma & matura

Hoc & in communi vita, & in eloquentiæ exercitio, frequentiſſime venire uſu ſolet. Caini iram vultus diſſimulare non potuit. Geneſ. 4. v. 5. vehementem Nebucadnezaris indignationem geſtus deformis arguere cepit. Daniel. 3. v. 19.

Cum Servator Marc. 3. v. 21. ad populum frequentiorem concitatius verba faceret : ita zelo exarſit, ut ſtolidi eum in furorem verſum fuiſſe crederent. Neque enim Marci verba de populo explicanda arbitror, ob graves rationes, quas præſens non admittit inſtitutum.

§. 132.

Cum animo igitur, in multis caſibus, quos §. 122. determinavi, vultus conſentit : ex quo ille judicari poteſt, & ſolet. Sin hoc autem verum eſt, de quo cum ratione nemo dubitat: nexus horum argumentorum cum præceptis de

 perſpi-

Compo-ne do vultu.

perſpicuum eſt, oratori vultum ita componendum eſſe, ne ab animo diſſentire videatur, contrario nutu: quamobrem illæ de vultu regulæ, quas cap. 1. tradidimus, quibus non committere jubemur, ut *aliud oris ſpecies præ ſe ferre videatur, aliud autem oratio*: idoneis nixæ rationibus omnino cognoſcuntur.

§. 133.

tranſitus ad regulas de manuum motu.

Supereſt, ut breve illarum cauſſarum examen inſtituamus, ex quibus regulæ, de manuum motu, conſequutæ ſunt: quas equidem ex ſuperioribus, maximam partem, judicari poſſe arbitror.

§. 134.

exemplum, de manuum motu, generatim allegatum.

Quantopere ad conciliandos pariter ac in attentione conſervandos, valeant, accommodati ad orationem, manuum motus, ſi nullo alio argumento intelligi poſſet: (poteſt autem ex pluribus) ex ſaltatorum, quos Veteres tanto colebant opere, feſtivo lepidoque motu, qui, uti in corporis totius, ſic & manuum delicato geſtu, cum ſumma ſpectantium admiratione, collocatus fuit, certe quidem ſatis ſuperque cognoſcitur.

§. 135.

ſpeciatim in exemplo ſaltationis veterum.

Jam tibiæ multiforabiles cantus lydios dulciter conſonant: quibus ſpectatorum pectora ſuave mulcentibus, longe ſuavior - - placide commoveri, contantique lente veſtigio, (per) fluctuantes pinnulas, & ſenſim annutante capite, cœpit incedere, mollique tibiarum ſono delicatis reſpondere geſtibus: & nunc mite conniven-

niventibus, nunc acre comminantibus geſtire pupillis, & nonnunquam ſaltare ſolis oculis &c. Verba ſunt Apuleî L. X. metamorph. p. 255. edit. Elmenhorſt. 1621. quibus, quâ ratione eridos pomum Veneri adjudicatum fuerit, & quam ingens in corporis actione oratoria vis poſita ſit, peringenioſe depingit.

§. 136.

De ipſo veterum ſaltandi inſtituto, ut judicium heic interponam meum, neceſſe non eſt: ſufficit, hoc demonſtraſſe exemplo, quàm auditores blandè afficiant concinni geſtus, & quanti ſint, præcepta ei conſilio inſervientia, momenti. quo fine hoc allegetur?

Abſit, ut rebus graviſſimis, quarum numero artem oratoriam adſcripſerim, ex arte ſaltandi, ludicra me admiſcere, quisquam conqueratur: non eo quippe meum ſpectat conſilium; quin id potius tantum hiſce probatum volo: quoniam homines plerumque illis capiuntur, quæ decora ac ſuavi ratione ſenſus permulcent, corporis eloquentiam, quæ ad eundem ſcopum, oblectandorum in audientibus ſenſuum, contendit, regulis fundatiſſimis non deſtitui, ſi ea præcipiat, quæ ad concinnam vultûs, vocis, geſtuum, totiusque externi habitus, compoſitionem nonnihil faciunt.

§. 137.

Noſtris temporibus, ne, antiquis illis, ejusmodi quid tantùm frequentatum credas fuiſſe, non minor ſaltantium, in affectibus, geſtu, & manu, & reliquo corpore, exprimendis, dex- in exemplo ſaltandi artis hodiernæ

teritas: jucunda ſane eſt recentioris cujusdam ſcriptoris hypotypoſis, quâ certum ſaltationis genus ita expreſſit:

§. 138.

ejus quædam hypotypoſis *Aliquando iracundiam, indignationemque, præcipiti ac turbulento motu teſtabatur: aliquando moderatiorem affectum exprimens, moderatiore ſaltatu, ſuſpiria videbatur trahere, deſtitui viribus, animo delinqui, languentes, errantesque oculos circumjicere, multifariâ demum converſione ac contorſione brachiorum & corporis, nunc temere, nunc remiſſe, nunc perturbate projectorum, tantum peperit ſibi exiſtimationis & gratiæ, ut quamdiu præſtigiatrix hæc ſaltatio duravit, omnium tenuerit animos amore devinctos, quorum oculos voluptate tenuerat, & admiratione defixos.* diverſ. deſcriptions de Pomay p. 23. num. III.

Dic, an liceat, ea, quæ homines leviſſimi ad voluptatem duntaxat aliorum vaniſſimam fovendam adhibent, transferre ad rectiorem uſum in arte oratoria, quantum hujus nempe permittit finis?

Conſtitue tecum, malisne præbere aures oratori, lenta, & per multas intermiſſiones pronuntiatura voce, vultu ad auſteritatem, ſive invidiam, ſive ferociam, compoſito, manuum motu, ſive nullo, ſive hiſtrionico, utenti, orationem licet optime elaboratam recitanti:

an vero malis audire, qui oratione mediocriter bonæ adjungit vocem longe ſuaviſſimam, expedi-

expedito & excitato linguæ motu jucundam, vultum omnes affectus aptiſſime exprimentem, & manuum motus tam apte temperatos, ut vel his ſolus docere videatur, etiamſi ſermonem non exciperes auribus?

Nullus dubito, quin, his expenſis, quamobrem de concinno ſaltantium motu dixerim, ſis intellecturus.

§. 139.

Iterum hîc moneo, me cum ſaltatoris geſtu, officia oratoris confundi nolle: illius tamen artificia, cum grano ſalis adhibita, huic eſſe uſui poſſe, Quinctilianus docet L. I. cap. 11. p. 71. 72. edit. Obrecht: *ne illos quidem reprehendendos putem, qui paululum etiam palæſtricis* (non exercendo, ſed obſervando, quæ actioni oratoriæ idonea ſunt) *vacaverint* - - ut *recta ſint brachia, ne indocta ruſticave manus, ne ſtatus indecorus, ne qua in proferendis pedibus inſcitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione diſſideant. Nam Lacedæmonios quidem etiam ſaltationem quandam, tanquam ad bella quoque utilem, habuiſſe inter exercitationes accepimus. Neque id veteribus romanis àedecori fuit: argumentum eſt, ſacerdotum nomine ac religione durans adhoc tempus ſaltatio: & illa in tertio Ciceronis de oratore libro verba Craſſi, quibus præcepit, ut orator utatur laterum inclinatione forti ac virili, non à ſcena & hiſtrionibus, ſed ab armis aut etiam à palæſtra.* Hactenus ille. quo iterum conſilio de hac verba fiant?

§. 140.

Et ſi vel maxime, à ſaltandi artificibus, oratori, explicatur ulterius.

tori, in componendo geſtu, diſcendum nihil eſſe contendas; (quod per me licet) tamen ex illis, quantum, ad affectus auditorum movendos, oratoria actio valeat; ut regulas ſupra traditas uſui eſſe ſentias, didiciſſe, non erit prorſus ſupervacuum.

§. 141.

probatur geſtuum neceſſitas porro.

Quod eo magis tenendum eſt, quo certius eſſe novimus, hanc maxime ob cauſſam antiquorum Demoſthenem admirationem excitaſſe, quod in proverbium abierit, **magnam ejus partem ab orationibus ſcriptis abeſſe**, i. e. quanti fuerit ille, judicari non poſſe, ubi coram audire dicentem non liceat.

Neque ejus rei ratio obſcura eſt. Maxima vis enim facundiæ, quâ polluit Demoſthenes, in *ὑποκρίσει*, ut ipſe ajebat, ſita fuit, i. e. in eloquentia corporis, in **vultu, in voce, in geſtu, in habitu reliquorum membrorum omnium.** Quæ omnia, cum litteris exprimi non poſſint, (quod tantum abeſt, fieri ut queat, quantum abeſt, ut vita, ſeu motus poſſit picturis, ſcriptisque directe repræſentari: non enim vita, aut motus in ſe, ſed corporis ſitus talis, qui ſine motu aut vita non exſiſtit, proprie loquendo pingitur:) mirum non eſt, maximam oratoriæ partem, quâ Demoſthenes uſus eſt, à ſcriptis ejus abeſſe.

§. 142.

exemplo Demoſthenis

Notanda idcirco ſunt, quæ Plinius tradit, L. VII. cap. 30. p. 116. ed. Frob. Baſil. 1549.

his

his verbis: *Æſchines Athenienſis ſummus orator, cum accuſationem, qua fuerat uſus, Rhodi legiſſet; legit & defenſionem Demoſthenis, ob quam in illud depulſus fuerat exilium: mirantibus tum* magis fuiſſe miraturos dixit, ſi ipſum orantem audiviſſent: *in calamitate teſtis ingens factus inimici.*

Eandem ob cauſſam veterum nonnullos optaſſe accepimus, ut Chriſtum in carne, Paulum in ore, Romam in flore, conſpicari ipſis licuiſſet.

Cur Chriſtum in carne, cur Paulum in ore? Nam etſi divina eorum ſcripta in noſtris verſentur manibus, quæ ad veritates cœleſtes invicta ratione docendas, ineffabili ſpiritus S. efficacia ingenerandas, ſat omnino ponderis habent: tamen, cum ſumma auctoritas præſens, & ſenſibus ſubjecta, neſcio quid ſingulare ad commovendam mentem habeat; ejusmodi votum non omni plane cauſſa fuiſſe videtur deſtitutum.

Loquor de illis, qui fidem in Chriſtum jamjam conceperunt: reliquos enim Chriſti perſona contemta potuiſſe offendi, ſi aut à fide alieni, aut in ea non ſatis confirmati erant, facile conceſſerim.

§. 143.

Cum autem ex æquo omnibus, ob ingeniorum varietatem infinitam, adprobetur nihil, ut recte Pindarus canit ὀλυμπ. η. ἀντισρ. γ. κω. ϑ. p. 214. edit. Eraſm. Schmid. 1616. τερπνὸν in quo licet quædam reprehenſa

δ' ἐν ἀνθρώποις ἴσον ἔσσεται οὐδὲν, *delectabile autem inter homines æqualiter erit nihil:* mirum non eſt, quod nobis objici nolimus, ipſius Demoſthenis actionem oratoriam nonnullis diſplicuiſſe. Sic enim Plutarch: in Demoſth. T. I p. 851. litt. A. ed. Xyl. οἱ δὲ χαριέντες ταπεινὸν ἡγοῦντο καὶ ἀγενὲς αὐτοῦ τὸ πλάσμα, καὶ μαλακόν. ὧ καὶ Δημήτριος Φαληρεὺς ἐστιν. *Elegantiores, in quibus eſt Demetrius Phalereus, humilem ejus geſtum, abjectum, & mollem cenſebant eſſe.*

Nihil tam eximium, tam ſingulare, tam præſtans eſt, quod non quorundam obtrectationibus pateat. Cujus rei cauſſam inveſtiganti ſive hominum obtrectantium malitia, cui ne DEUS quidem facit, quod ſatis videtur; quare de Socrate Vitruvius præfat. L. III. p. 77. edit. Lugd. 1586. ſcribit, *eum dicere ſolitum: oportuiſſe hominum pectora feneſtrata & aperta eſſe, uti non occultos haberent ſenſus, ſed patentes ad conſiderandum:* ſive rerum obtrectatarum perfectio omnis, certis ubique menſuris circumſcripta occurret, ultra quas in re qualibet multa deſiderari poſſe, quotidiana docet experientia. Nihil enim omnibus abſolutum, perfectumque numeris eſt, quidquid alterius vitæ bonis nondum adſcribitur. Qui rem, ejusdemque vim, & naturam in ſe conſiderat, habet, quod laudet: qui ejusdem limites expendit, nanciſcitur, quod reprehendat, aut ſaltim deſideret.

Oratoriam intuenti res laudatiſſima occurrit:

limites

limites vero ejus cogitanti perſpicuum eſt, non omnia, quæ vitæ neceſſitas humanæ depoſcit, oratoriam poſſe. Quodſi omnes huic arti navarent operam homines : quis expleret famem ? Venter quippe caret auribus.

Ipſarum oratoriæ partium ſimile eſt judicium. Paucos profecto in omnibus, multos in quibusdam, plurimos in pauciſſimis, ſeu plane nullis, excellere videas. Non qui ſacra, idem & profana facundia, non qui aſiatico, idem & laconico dicendi genere pollet.

Adeſt ergo res laudanda, adeſt etiam limes, ob quem infinita, quæ abſunt, ſive jure, ſive injuria, deſideres.

Illud igitur reprehendere licet : non, in quo plura deſiderantur : ſed in quo deſiderantur, quæ adeſſe deberent : adeſſe vero debent, quæ HIC ET NUNC poſſunt, exigente bono publico.

§. 144.

Quodſi igitur ex vero nonnihil illa quidem criminatio traxit ; quamvis *tamen ea nobis non obſtant, & cur?*

Non noſtrum inter vos tantas componere lites

Virg. Eclog. III. verſ. 108. id non tam artis, quam oratoris vitio factum eſt : in qua, quicunque excelluerunt, maxima præſtare judicati ſunt. *Hortenſius plurimum in corporis decoro motu repoſitum credens, pene plus ſtudii in eodem elaborando, quàm in ipſa eloquentia affectanda, impendit. Itaque neſcires utrum cupidius ad audiendum eum, an ad ſpectandum, concur-*

concurreretur : hic verbis oratoris adſpe- ctus, & rurſus adſpectui verba ſerviebant. *Itaque conſtat Æſopum & Roſcium, ludicræ artis peritiſſimos viros, illo cauſſas agente, in corona frequenter adſtitiſſe; ut foro petitos geſtus in ſcenam referrent.* Verba ſunt Valerii Maximi L. VIII. cap. 10. num. 2. p. 297. edit. Erneſt. Gohl. 1672.

§. 145.

conclusio ex anteced:

Quæ quisquis expenderit, geſtuum quoque rationem neceſſariò oratori habendam eſſe, facile ſenſerit. Id ſi verum eſt, etiam præcepta, ad illos rite formandos, tradita, non deſtituentur fundamento: id, quod probandum ſuſcepimus.

§. 146.

Tranſitus ad rationum rationes.

Hactenus præceptorum rationes ex certis deſumſimus phænomenis, quæ omnia huc redeunt: uſu & experientia cognitum, actionis oratoriæ in eloquentiæ exercitio, maximam vim eſſe & efficaciam: ideoque, *prioribus regulis opus eſſe:* nunc rationum rationes, *i. e. ipſorum* φαινομένων *cauſſas* inveſtigaturi, paulo profundius de corporis eloquentia differendi, & expendendi: cur externa corporis actio tantum in eloquendo vim exerceat? peropportunam prenſabimus occaſionem.

§. 147.

quomodo evolvendæ?

Regularum, ad corporis eloquentiam formandam, ſpectantium, rationem ex phænomeno hoc

hoc repetiimus, quod omnium confirmatur experientia mortalium: maxima eſt actionis oratoriæ in eloquendo vis: audiemus nunc hujus ipſius phænomeni cauſſam: cur in hominibus movendis externus ille oratoris in agendo decor tantum operetur? quæ res altioris indaginis occaſionem præbebit.

§. 148.

Primam ejus phænomeni cauſſam hanc eſſe, ſum perſuaſus: ubi, quod intelligi debet, idem, congruo modo, ſentire poſſis; ubi ejusdem rei imaginibus corporeis afficiuntur ſenſus externi, cujus omnino rei ideis ſpiritalibus (ut voce Vitruvii L. X. c. 1. p. 397. 1586. ed. utar) occupatur intelligendi facultas; ubi demum plus cauſſæ operantis eſt: ibi plus conſequi efficaciæ, mirum eſſe non debet. Atqui, quum orator externo corporis habitu motuque, coram auditorum ſenſibus, id omne unà exprimit, ac velut depingit, quod oratione, menti tantum adſequenda, ſignificaturus eſt: tum & ſenſuum & intelligendi facultates, in audientium animis occupantur, plus ideoque cauſſæ præſto eſt, quàm eſſet, ubi ſola mentem alliceret facundia, ceſſante reliquorum conſenſu: itaque oportet exſiſtere actionis oratoriæ vim non exiguam. prima phænomeni cauſſa

Corporis igitur eloquentia, mentis facundiæ addita, feliciſſimo connubio, intelligibilibus ſenſibilia jungit, ut his illa depingantur, illuſtrenturque.

Nititur ergo hoc inſtitutum generali, nec ſatis unquam laudanda, veritate, quæ normæ vim habet: FAC, ſi fieri poteſt, SENTIANTUR QUOQUE, QUÆ INTELLIGENDA SUNT, **tum res difficillimæ, & ad facilitatem intelligendi, & ad certam ſcientiam, & ad perpetuam revocabuntur memoriam.**

Primo quidem per res ſenſibiles facilius intelligas rerum abſtruſiſſimarum connexiones: ut exemplo ſignorum algebraicorum cognoſcitur. Adde quod pueris ardua ſcientiarum elementa planiora reddantur, & jucundiora, per ea, quæ illorum ſenſibus objicias.

Inde chartarum geographicarum, aſtronomicarum, epigrammatum, emblematum, comœdiarum, fabularum, orbis picti, uſus æſtimandus eſt.

Quo pertinet ethica picta, principi Altenburgico, quem fata terris tantum oſtenderunt, deſtinata. Huc ſpectat ludus ille artificioſiſſimus, cujus meminit Roſſencreutz, ubi ad modum ludi latrunculorum, virtutes in albo, vitiaque in nigro habitu, mira inter ſe invicem arte, depugnant.

Secundo per res ſenſibiles, quæ ſuo modo intelligibilia repræſentant, hæc omnino ad ſummum exploratæ ſcientiæ gradum revocantur.

Inde in matheſi tam certa omnium cognitio; quia imagines, circa quas verſatur, v. g. lineæ, ſuperficies, circuli, &c. facile ad ſenſus revocantur.

Eâdem

Eâdem via, quæ imaginamur, ad lapidem lydium, qui nunquam fallit, exigi poſſunt. Nam ſi ſomnianti de rebus futuris imaginationi, eventus tandem, qui in ſenſus cadit, exacte reſpondeat: quis de illius veritate dubitet?

Eandem ob cauſſam ænigma fidei 1. Cor. 13. v. 12. ad conſummatam reducetur cognitionem, cumprimum *Servatorem intuebimur, ut eſt*, nempe id ſimul fiet, atque Chriſtum coram conſpicabimur ſenſibus gloria cœleſti veſtitis. Inde illa Pauli 2. Cor. 12. inde Stephani, quorum uterque Chriſtum hac in vita ſenſui ſubjicere potuit Act. 7. v. 55. ſumma πληροφορία per omnem modum.

Tertio ſenſus memoriæ, præſertim in oratoria, inſervire, dubio caret. Quæ & audimus, & videmus, eorum recordamur diutius. Itaque corporis eloquentia, quoniam ſenſibus repræſentat, quod verba menti ſignificant, ſingularem uſum habet.

§. 149.

Recte Veteres obſervârunt, ſenſibus non niſi res ſingulares i. e. individuas, objici: teſte Plutarcho de Anim: procreat. Timæo T. II. op. ed. Xyl. p. 1025. litt. D. καὶ μὴν θεορητικῆς γε τῆς ψυχῆς οὔσης ἅμα καὶ πρακτικῆς, καὶ θεωρούσης δὲ τὰ καθ᾽ ὅλου καὶ τὰ καθ᾽ ἕκαστα καὶ νοεῖν μὲν ἐκεῖνα, ταῦτα δὲ αἰσθάνεσθαι δοκούσης: *Jam cum anima & contemplandi vim habeat, & agendi: conſideret autem cum univerſalia, tum ſingulas res, de quibus HAS SENTIRE, ILLAS INTELLIGERE dicitur &c.* Itaque probatur ulterius

cum res ſingulæ ſint rerum cognoſcendarum exempla totidem, quorum aliorum cum aliis ſimilitudo, mente ſeorſum cogitata, univerſalem notionem parit: prius certe & facilius res cognoſcuntur in exemplis, i. e. ſentiendo, ideoque & orator, qui corporis eloquentiam, ſenſibus obviam, adhibet, ea quæ oratione animis perſuaſurus eſt, mirifica facilitate commendat.

§. 150.

teſtimonio Animum proinde hîc ſubit, quod Epicurus apud Senecam, Epiſt. 124. p. 518. ed. Morell. 1613. pronuntiat: *quemadmodum omnis ſcientia atque ars aliquid debet habere manifeſtum, ſenſu comprehenſum, ex quo oriatur & creſcat: ſic & beata vita fundamentum & initium à manifeſtis ducit, & eo, quod ſub ſenſum cadit.*

§. 151.

alia phænomeni cauſſa. Sed hîc ulterius quæras: *cur ſenſuum cognitio rebus facilitatem percipiendis afferat?* cur eorum miniſteria, intellectus facultati adjuncta, v. g. in auditoribus plus efficiunt, quàm ſi hôc illa ſatellitio ſtipata non ſit? Præter cauſſam illam, quam §. 148. obiter tetigi, quod plus effectûs ſit, ubi cauſſæ plus operantis exſiſtat, addemus aliam, pondere non minore gravem.

§. 152.

quænam ſit? Imagines, quæ, à rebus profectæ externis, ſenſui offeruntur, vehementer compoſitæ, ex infinitis, quas non internoſcimus, partibus coaleſcunt:

leſcunt : ideæ vero, quas ex illarum demum imaginum varia comparatione, intelligendi facultas, format, ſimpliciores, & ab individuarum, quæ infinitæ ſunt, conditionum, involucro, mente ſeorſum cogitatæ, repræſentantur. Illæ vividius, (plurium quippe rerum vis compoſita major, quam, quæ ex eis ſejunctæ ſunt, paucarum) hæ debilius; *contra hæ* diſtinctius & ordinatius, illæ confuſius *mentem percellunt & afficiunt*; in illis eſt ardor, in his lux; illæ quod res exſiſtant, hæ; quid ſint, quà οὐσίᾳ contineantur, *noſmet erudiunt.*

Hæc eſt illa clavis animorum famoſa, quâ quemadmodum oratoria ad optimum uti finem poteſt; ſic eâdem rerum terreſtrium illecebræ ad ſalutis hominum perniciem potiuntur.

Nempe quoniam res ſenſui obviæ fortius & vividius; intellectui autem objectæ licet ordinatius, debilius tamen, mentem afficiunt: fieri non poteſt, quin, mundi bonis præſentibus, quæ ſenſum percellunt, ita omnes capiantur, niſi per DEI gratiam ſibi caveant, ut illa ratiocinatio, quam theologia de æternis explorato, & efficaciſſime; philoſophia vero veriſimilius docet, animum ad ſpem ſempiternorum bonorum, præ vehementi caducorum irritatione, rariſſime erigat.

Cum igitur ſemper ſenſibilia intelligibilibus fortiora ſint; licet minime digniora: neceſſe eſt, corporis eloquentiam, quæ ſenſibus ſatisfacit, cum eloquentia mentis conjungas.

§. 153.

quid inde fluat? Itaque, ſi auditorum ſenſus occupentur imaginibus, ab actione oratoria prodeuntibus, quæ tanquam totidem umbris, orationis lumen, mentis tantum oculo intelligenti ſubjectum, diſtinguant: idem eveniat neceſſe eſt, quod de arte pictoria Plinius ſcribit L. XXXIV. cap. 5. p. 615. edit. cit. *tandem ſe ars ipſa diſtinxit, & invenit lumen & umbras, differentia colorum, alterna vice ſeſe excitante.* Nam & actio eloquentem juvabit, & eloquentia viciſſim actionem diriget.

Ut ſe habent adumbrationes, in arte pictorum, ad colorum lumina: ſic eloquentia corporis ſe habet, ad mentis præclaram facundiam, ingenioſa primo inventione, judicioſa poſt diſpoſitione, ac ſuavi denique elocutionis ubertate, comprehenſam.

Pictores primo lineas ducunt futuræ imaginis, quæ ichnographiam conſtituunt, cui inventionem, diſpoſitionemque comparaveris: ſecundo inducunt colores umbram referentes, quibus expreſſior, nondum tamen perfecta ſpecies exhibetur: quod inſtitutum cum corporis eloquentia conſentit. Denique ſuccedit operis perfectio, in ipſa elocutione, quam in arte pictoria artificis ultima manus repræſentat.

§. 154.

alia cauſſa phænomeni. Huc pertinet alia cauſſa: quidquid ſubire animum poteſt, per duos ſenſus, id eſſe efficacius fatebere, illô, quod per unum duntaxat ſenſum penetrat eodem. Atqui oratoria actio & voce

voce aures jucunda delectat : & reliquo corporis motu apto, concinno, ἁρμονικῷ, oculos conciliat : majorem ergo vim exſertum iri, quoties eâ utimur, quam ſi ſola intelligendi facultas, orationis licet elegantis ſignificatu, paſcatur, facile, quisquis diligenter ſecum exputaverit, cognoſcet.

§. 155.

Abiit in hanc quoque ſententiam Valerius Maximus cit. loc. L. VIII. c. 10. p. 297. *Eloquentiæ autem ornamenta in pronuntiatione apta, & convenienti motu corporis conſiſtunt: quibus cum ſe inſtruxit, TRIBUS MODIS homines aggreditur, ANIMOS eorum invadendo, horum alteri AURES, alteri OCULOS permulcendos tradendo.* teſtimonium de ea

Totus igitur homo arte oratoria occupandus eſt : qui tribus hiſce portis, quantus, quantus eſt, eloquentiæ patet. Uti §. ſequenti continuo indicabimus.

§. 156.

Senſibus, per actionem oratoriam, ſeu corporis eloquentiam, occupatis, pariter ac ipſa intelligendi facultate, tum per cogitationum in inveniendo, & diſponendo, partarum, ordinatarumque, præſtantiam, tum per verborum ac phraſium, in eloquendo adhibitarum, decorem, mirifice delectata : totus ſane homo afficitur, ideoque idearum & ſpiritalium, & imaginum corporearum, circa eandem rem, convenienti modo, repræſentandam, conſenſu, magna exſiſtit perfectio, quam quippe, plurium ad eundem finem contendentium conſenſu, metimur. nova phænomeni cauſſa.

§. 157.

alia iterum phænomeni cauſſa.

Denique illud etiam non parum ponderis habet, quod facta oratoriæ actionis, cum eloquentia mentis, conſenſione, tot animi ſignificationes, quas & oratio & externa actio parit, tandem auditoribus perſuadeant, fieri non poſſe, quin ex animi ſententia illud dicatur, quod tot undique ſignis eſſe videtur confirmatum.

§. 158.

quantum probet.

Falli quidem auditores, certum eſt, ubi ita ratiocinantur: *& facies affectus index, & oculi, & frons, & vocis gravitas, & contentio, & manuum accommodati motus, & reliqua exterior oratoris figura omnis, ad id ſignificandum componitur, quod & oratio præ ſe fert verbis: ergo eundem ſerio loqui cenſere debemus*: quoniam hoc ratiocinium tamen cogitatione quadam nititur, in qua ab errore veritas non ſatis diſtincta eſt, ac depurata: juvabit eam rem explicatioribus illuſtrare ideis.

§. 159.

evolvitur

Error veritati adhæreſcere poteſt: quoties temere ratiocinamur ex ea, non plene cognita. Qui auditores, in oratore, ex corporis, conſpirantibus in unum cum verborum fine, ſignis, animum ejus metiuntur: illi præ oculis habent graviſſimam in omni diſciplina veritatem, ANIMÆ & CORPORIS eſſe HARMONIAM ADMIRANDAM. Recte id quidem ſentiunt, ſed non plene cognitum.

Dico: non plene cognitum: ut enim de

vera

vera animi dicentis ſententia perſuaſus ſis, non ſufficit harmonia corporis motuum, cum notionibus mentis, ſignificatis oratione: quin potius plerarumque, quæ in hominis poteſtate ſunt, actionum, cum illa oratione, conſenſus accedat neceſſe eſt.

Deinde rem plene non cognoſcit, qui ejus limites, quibus determinatur, non prorſus perſpectos habet.

At vero, quis eſt, quem fugiat, harmoniam inter corporis motus, & mentis notiones, limitatam eſſe, ut ſæpe corporis motus in mente plus non innuant, quam voluntatem ſigni non beneplaciti?

Inde oratoria hypocriſis, quæ per ſe laudanda eſt, quoniam ea perverſi rhetores facile perperam utuntur, nomen dedit theologicæ hypocriſi, deteſtando in ſacris, & perſonato monſtro.

In omni igitur actione corporis & animæ harmonia accurata locum habet, ſed limitibus circumſcripta, corporis actionibus animi affectionem non arguentibus, niſi in toto fere vitæ exterioris ſpectentur ambitu.

§. 160.

Sive enim corpus omnium ſuarum actionum impulſus ab anima recipiat, tanquam aliquod ejus inſtrumentum, quale corpus eſſe noſtrum καθ' ἐξοχὴν, putârunt Platonici, animæ immortalitati hoc modo patrocinaturi: ὣς τ' εἰ μὲν μέρος ἡμῶν τοῦτο, οὐ τὸ πᾶν ἀθάνατοι. εἰ δὲ ὄργανον ἔδει γὲ αὐτὸ εἰς χρόνον τινὰ δοθὲν, τοιοῦτον distinctius

τὴν φύσιν εἶναι : *quamobrem ſi corpus pars eſt nobis, non ſumus utique immortales ; ſin autem noſtrum eſt inſtrumentum, oportet ipſum ad tempus tributum nobis tale eſſe natura :* Plotinus Ennead. IV. L. VII. cap. I. p. 456. edit. Marſil. Fic. 1615: ſive DEUS ipſe, occaſione appetituum, quibus commovetur anima, noſtrum corpus, ſine alterius cujusquam interventu, hoc aut illo modo cieat : quæ Malebranchii eſt ſententia de inquirend. Veritat. L. VI. cap. 3. p. 420. ſeq. edit. 1691. Genev. ſive denique DEUS motus corporis, à nativitate primos, ita præfinivit, ut ex illis, naturali ordine, conſequentes evolvantur omnes ; quæ nonnullorum hodie ſententia eſt, permultis exoſa : id tamen in hac opinionum varietate firmum ſemper fixumque manet : inter omnes animæ corporisque actiones, mutuam ſervari, eandemque ACCURATISSIMAM HARMONIAM, ſed tamen LIMITATAM.

§. 161.

ſolvitur dubium

Nec obſtat illorum ſententia, qui tres humanæ naturæ confinxerunt parres, **mentem**, **animam**, & **corpus**, illam extra commercium cum corpore evehentes : de qua re teſtimonium perhibet, (pluribus enim hoc loco opus non eſt) Suidas in vocabulo (Νοῦς) T. II. p. 243. edit. Æmil. Port. 1619. *ἡ δὲ τοῦ νοῦ ἐνέργεια ἐκείνοις παραγίνεται, οἷς εἰς ἄκρον καθάρσεως καὶ ἐπιστήμης γέγονεν ἀφικέσθαι, καὶ διὰ τῶν καθαρτικῶν ἀρετῶν, ἀφαντάστως, καὶ δίχα αἰσθήσεως ἐνεργεῖν συνειθισμένης. ἔστι γὰρ ὁ νοῦς μύξις*

τῆς

τῆς ψυχῆς τελειοτάτη. καὶ γίνεται τοίνυν ὁ μὲν νοῦς περὶ τὰ νοητά : *Mentis autem actio contingit illis quibus datum, ut ad ſummum faſtigium puritatis & ſcientiæ perveniant, quique per purgatorias virtutes, SINE IMAGINATIONE & SENSU agere conſueverunt. Eſt enim mens mixtio animæ perfectiſſima. Quare mens quidem exſiſtit in intelligibilibus :* neque enim hæc opinio idoneis rationibus nititur.

Si niteretur, tum ſuprema illa noſtræ naturæ pars, quam mentem Suidas, hodierni vero myſtici, ſpiritum vocant, ſupra commercium cum corpore elevata, nulla ratione cum eo conſpiraret.

Sed cuilibet etiam divinæ animi noſtri operationi, vel in cerebro, vel interdum in reliquis quoque corporis artubus, ſive motum, ſive movendi conatum reſpondere, teſtatur & experientia. & ratio, quæ actionem extra corpus, uti ab anima defunctorum ſeparata, fieri dictat, quum ſine corporis commercio ſuſcipitur 2. Cor. 12. v. 3.

Hinc & fallit illa Servii ad Virg. L. II. Æneid. verſ. 772.

Infelix ſimulacrum atque ipſius umbra Creuſæ
nec non ad verſ. 654. Libr. IV.

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
ſententia ſequens, quam hodie celebris in Saxonia medicus ſuam fecit:

Valde, quæritur apud philoſophos, quid illud ſit, quod inferos petat. Nam TRIBUS CONSTAMUS : ANIMA, quæ ſuperna eſt, & originem ſuam petit ; *UM-*

UMBRA, quam Lucretius ſic definivit, ſpoliatus lumine äer. Ergo umbra, ſi ex corpore creatur, ſine dubio perit cum eo, nec eſt quidquam reliquum de homine, quod inferos petat.

Sed deprehenderunt eſſe quoddam ſimulacrum, quod ad noſtri corporis effigiem fictum, inferos petit. Et eſt ſpecies corporea, quæ non poteſt tangi ſicut ventus.

Cum igitur non exſiſtat pars humanæ naturæ, quæ ab omni corporis commercio exſoluta eſſet: conſequitur, non eſſe quidquam in homine, ſive ſpiritus, ſive mentis, ſive animæ vocabulo inſignitum, cui non reſpondeant corporis motus.

§. 162.

Harmonia corporis & animæ limitata.

Quin potius & ideæ mentis, & corporis motus ſibi invicem accuratiſſime reſpondent, ſed non ſine limitibus, *partim* reſpectu effectûs, quando alterum ab altero impeditur, præter conatum agendi, effectum parere ut nequeat: *partim* reſpectu *rerum*, circa quas actiones animæ & corporis verſantur: in quibus corpus & anima non ita ſemper ἁρμονικῶς agunt, ut illius habitu externo hujus cognoſcere poſſis deſtinationes.

§. 163.

diſtinctius explicata.

Loquar explicatius. Quidquid anima vult, id exſequitur corpus, ſed quantum permittit hujus inertia, qua, ne effectum ſemper exter-

num attingat, mentis conatus circumſcribitur. Cui natura vocem oratori exiliorem voluit tributam, idem, tametſi nitatur, quam maxime poteſt, ob gutturis indolem, emendare quidem aliquantiſper illam, mutare in aliam prorſus, non poterit. At, inquis, ſic ceſſat harmonia: non ceſſat ſane, mentis enim appetitui reſpondet in corpore etiam conatus, effectus, ob hujus inertiam, non reſpondet. *Itane vero,* ais, *harmonia manet, dum, volente animâ, nullus à corpore obtinetur effectus?* Manet utique harmonia, ſed limitata: qualis, uti tamen eſſe oportet, foret nunquam, ſi, quidquid anima cupit, à corpore effici poſſet.

§. 164.

Idem feras judicium de corporis in animam actione: quæ animam non ita obnoxiam habet, quin per leges animæ *Logico-ethicas* circumſcribi poſſit ſimili ratione, quâ, mentis in corpus, actio limitatur corporis legibus *phyſico-mechanis.* Inde temperamenta corporis, inclinationem duntaxat in anima ita volendi pariunt, non vero, cognitis fortioribus, in alteram partem agendi, motivis, adpetitum ſubinde ipſum. *Quæ hæc eſt,* iterum inquies, *harmonia?* Eſt ſane! nam & ipſis, contra propenſionem temperamentorum agendi, rationibus, in anima repræſentatis, reſpondent certi corporis motus exactiſſime: eſt igitur *harmonia animæ & corporis: ſed* non ſemper adpetitûs & effectûs.

& viciſſim ratione corporis in animam ſpectata.

Primo

Primo quidem harmoniam corpus cum anima oſtendit, ſed, ut dixi, limitatam.

Linguam impeditiorem mens oratoris non plus corrigit, quam materiæ permittit inertia. Leges ergo corporis phyſico-mechanicæ terminis circumſcribunt actionem animæ.

Viciſſim pronus agilium ſanguinis particularum in corpore curſus, linguæ volubilis inclinationem gignit: ita tamen ut leges mentis logico-ethicæ hanc corporis conſtitutionem certis poſſint coarctare cancellis, ac impedire quo minus illa linguæ velocritas opere ipſo exerceatur.

Cerebrum molle in anima oblivionis proclivitatem parit: quam tamen leges mentis logico-ethicæ, prudentiâ, aſſiduitate &c non difficulter arctioribus terminis claudunt, ideoque memoriam labantem ſuffulciunt.

§. 165.

eadem limitata ratione objecti

Actiones, quas libere ſuſcipimus, ex illarum numero ſunt rerum, circa quas, ut dixi §. 162. actiones corporis & animæ non ſemper verſantur, omni modo ἁρμονικῶς, ſcil. & *ſenſu* morali & phyſico. Sæpe actiones corporis conſentiunt tantum cum *voluntate* ſigni, non beneplaciti. Sæpe igitur obtinet utriusque generis actionum diſſenſus; ſed moralis, non phyſicus.

Exemplo ſunt, qui affectus quoslibet vultu poſſunt & verbis mentiri: qui egregii ſunt ſimulandi artifices: in quibus corporis & animi actiones harmoniam habent, ſed ſaltim exter-

nam,

nam, quæ in oculos cadit, non omnimodam, quæ interiora quoque cuncta pervadat.

Dubitandum enim non eſt, quin, ſi omnes corporis in hypocrita interiores partes τετραχηλισμέναι, & reſupinatæ eſſent; ex illarum motu de animi vafritie conjectari poſſet.

§. 166.

Itaque *cavendum* eſt auditoribus, ne actioni oratoriæ nimium tribuant, uti & nihil tribui non poſſe, experientiâ conſtat. Nimis tribuitur, ſi ex hac ratione illa commovet, quoniam ita forte ratiocinamur: ex animi orator ſententia pronuntiat: ei ergo credendum eſt; cùm & antecedens, & ejus, cum conſequente nexus, fallat. Nihil tribuitur, contra communem omnium ſenſum, ſi nos ei ferreos præbemus & immobiles, quod miro ad eundem typum concentu, & oratione intelligendi facultatem, & eloquentiâ corporis duos unà ſenſus, aures & oculos, afficit. applicatur ad monitum perutile

Cap. III.

DE ARTIFICIO CORPORIS ELOQUENTIAM CONSEQUENDI.

§. 167.

Primo capite theoremata, de corporis formanda tradidimus eloquentia: altero eorum, niſi fallor, exhibuimus demonſtrationes, ſeu, ſi mavis, fundamenta: nunc tandem problema perneceſſarium ſolvendum erit, quâ via, ad hanc eloquentiam, quam primum perveniri poſſit? Tranſitus

§. 168.

§. 168.

Tria media

Quæ tria Ariſtoteles tyronibus neceſſaria eſſe dixit, ingenium, exercitationem, & diſciplinam: ea &, in hac eloquentiæ parte laboranti, obſervanda, optima cum ratione credideris.

Ingenium bonum eſt veluti ager, quem non oportet eſſe petroſum, ſed fertilem. Diſciplinam contendas cum ſemine, cui convenit eſſe fecundo. Exercitatio cum vi illa Raji, botanici celebris, πλαςικῇ comparanda, (*mit dem Trib des Wachsthumbs*) quas tres opportunitates non ſequi non poteſt effectus.

§. 169.

probantur

Ita nimirum de Ariſtotele Diogenes Laërtius L. V. p. græc. 171. p. lat. 154. edit. Heinr. Steph. 1570. τριῶν ἔφη δεῖν παιδείᾳ, φύσεως, μαθήσεως, ἀσκήσεως: tria dicebat pueris neceſſaria INGENIUM, DISCIPLINAM, & EXERCITATIONEM.

§. 170.

Natura primum tenet locum.

Prima opportunitas non ab hominis arbitrio, ſi ab ejus cultura diſceſſeris, ſed ab uno ſupremi Numinis, quod omnium donorum, quotquot homines ornantur, diribitor eſt, potentiſſimo nutu dependet. Naturam heic intelligo eorum

- - - - quibus arte benigna
E meliore luto finxit præcordia Titan

Juvenal. ſat. XIV. verſ. 34. 35. p. 465. ed. Wetſtein.

§. 171.

probatur 1.)

Recte Ariſtoteles Rhetoricor. L. III. cap. I.

§. 21.

§. 21. p. 190. edit. Chriſt. Schrad. *καὶ ἐςὶ φύσεως*, inquit, *τὸ ὑποκριτικὸν ἐιναι: καὶ ἀτεχνότερον*. *Atque hoc quidem, quod ad agendum attinet, à natura potius habetur, & parvo eget artificio* : nempe quatenus naturale eſt, quod tamen aliquo modo excoli poſſe, ſuo loco dicemus.

§. 172.

Quæ Pythagoras, de puero, ad divinam naturam revocando, quæ ei inſita, & tantum oblivione ſopita, ac ſauciata credebatur; dictitare ſolitus eſt, teſte Apuleio in Apolog. p. 302. edit. Eimenhorſt 1621: *non enim ex omni ligno, ut Pythagoras dicebat, debet Mercurius exſculpi. Quod ſi ita eſt, nominate quis ille fuerit puer*; ſanus, incolumis, ingenioſus, decorus, *quem ego carmine dignatus ſim initiare* : ea ipſa quoque in illo requiruntur, qui corporis eloquentiam ſibi propoſuit conſequendam. Præſto quippe debet eſſe, quædam & vocis, & vultus, & corporis totius, *habilitas*, (ut cum Cicerone loquar:) de leg. L. I. c. 9. quam ingeneraverit indulgentior mater, neque noverca, natura. probatus 2.)

Vox, quam bovis potius, nec hominis dicas: vultus qui tetricus ingratiſſimusque adparet: manus plumbeæ, reliquique corporis artus inconditi, apto motui impares: magna profecto in corporis eloquentia incrementa non capient.

§. 173.

Habet ex veritate plurimum, tametſi poetice probatur 3.)

 ſcriptam

ſcriptum ſit, quod in hanc rem Pindarus canit, ὀλυμπ. B. ςρωφ. E. κώ. p. 100. edit. Eraſm. Schmid:

> Σοφὸς ὁ πολ-
> λὰ εἰδὼς φυᾷ
> μαθόντες δὲ, λάβροι
> παγγλωσσίᾳ κόρακες ὣς
> ἄκραντα γαρύετον.
>
> *Is demum ſapiens eſt, qui mul-*
> *ta ſcit naturæ ſagacitate:*
> *at diſcendo rem aſſecuti, vehementes*
> *loquacitate ceu corvi*
> *irrita garriunt.*

§. 174.

Inde ſequitur, ut naturam explores.

Cum igitur negotio huic omni ſingularis quædam naturæ felicitas ſubſterni debeat; quantopere neceſſarium ſit, ut ſuam quisque prius naturam exploret, juxta illud:

> \- - - - - - *æquam*
> *Viribus & verſate diu, quid ferre recuſent;*
> *quid valeant humeri;*

Horat. art. poet. verſ. 38. quam ineptos corporis geſtus in concionem protrudat, facili ratione intellexerit unusquisque.

Ex hujus officii intermiſſione factum, ut multi ſe ad eloquentiam perveniſſe putarent, ac etiamnum putent, quos non perveniſſe facile ſentias. Quare Cicero de offic. L.II. cap. 19. §. 10 *admonebat me*, inquit, *res, ut hoc quoque loco intermiſſionem eloquentiæ, ne dicam interitum, deplorarem, ni vererer, ne de me ipſo aliquid viderer queri.*

Sed

Sed tamen videmus, quibus exſtinctis oratoribus, quam in paucis ſpes, quam in paucioribus facultates, quam in multis ſit audacia. Hæc Tullius.

§. 175.

Sane idem optime ita: *ſuum igitur quisique noſcat ingenium, acremque ſe & vitiorum, & bonorum ſuorum judicem præbeat: ne ſcenici plus, quam nos videantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas, fabulas eligunt - - - Ergo hiſtrio hoc videbit in ſcena, quod non videbit ſapiens in vita? Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, in iis potiſſimum elaborabimus.* de offic. L. I. cap. 31. §. 11-15. p. 326. edit. Albr. Chr. Roth. quibus verbis & id docemur, non adſciſcendos geſtus, tametſi in aliis jucundiſſimos, invita penes nos Minervâ affectatos. probatur

Ne igitur imitetur vocem aliorum ſuavem, quem non æque gratâ natura dotavit: ne quis æmuletur aliorum plenam & heroicam, qui flebili & exiguâ per naturam, pronuntiat.

Abſit, ut geſtus illorum quisquam adſciſcere ſtudeat, quibus agilitatem membrorum multo majorem communis omnium rerum effectrix tribuit natura.

§. 176.

Quantum natura in hoc negotiorum genere, uti in aliis, momenti habeat, Quinctilianus, L. XI. cap. 3. p. 705. edit. Obrecht: his verbis commonſtrat: *unum jam his adjiciendum* probatur porro

eſt, cum præcipue in actione ſpectetur decorum, ſæpe aliud alios decere. *Eſt enim latens in hoc ratio & inenarrabilis : & ut vere hoc dictum eſt,* caput eſſe artis, decere quod facias : *ita id neque ſine arte eſſe, neque totum arte,* (naturâ quippe continetur) *tradi poteſt.*

§. 177.

ut naturæ viribus nec nimium fidas, nec deſperes.

Cum naturæ partes, in ea, quæ ad corpus pertinet, eloquentia, primum obtineant locum: nec ea felici nimis fidendum, nec, eadem natura difficili exſiſtente, animum deſpondendum eſſe, illi profecto intelligent, qui mediocritatis eſſe in omnibus voluerint ſtudioſi.

§. 178.

vel optimam naturam excolas

Quamvis igitur natura polleas optima, ut & jucunditate vocis, & dignitate vultus, & oculorum amabili ſplendore, & rubore genarum, & manuum accommodatiſſimo motu, & corporis proceritate, & affectûs, in perorando, vigore, & gravitate vocis, &, ut paucis complectar multa, divino actionis oratoriæ omnis ornatu, præ reliquis cunctis exſplendeſcas: tamen quantalibet hæc ſunt, limam eis adhiberi poſſe ac debere, ſi nullo ſuccurreret monito, illud certe Horatii, me arbitro, ſufficiet:

Fortes creantur fortibus & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus : nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Doctrina ſed vim promovet inſitam

Recti-

Rectique cultus pectora roborant
Utcunque defecêre mores
Dedecorant bene nata culpæ.

Horat: carm. 4. Libr. IV. vers. 30. ſeqq. Ex quibus, generoſiſſimam indolem, ut in virtutis ſtadio, ſic & in reliquarum ſtudio artium, limâ indigere, non ſine voluptate, ex poëmate capienda, cognoſcas.

Quod in oratoriæ ſtudio nonnunquam evenit, idem in omni aliarum litterarum cultu fieri ſolet.

Sunt, qui indolis bonitate freti, litteras nonniſi obiter tractant: quorum tametſi ingenium pauca, quæ forte ſive audit, ſive legit, avidiſſime arripiat, ad inſtar arvi, nunc primum proſciſſi, quod ſolet eſſe fecundiſſimum, ſecundum Maronis tritum Eclog. I. verſ. 71.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit.

tamen eos non conſequuntur profectus, quos facere, adhibita diligentia, artisque cultura potuiſſent.

Sunt vero viciſſim, qui pertinaciori diligentia ingenium non ſtupidiſſimum ita defatigant, ut, ſi alternam requiem interponerent, majoribus locupletarentur incrementis. Id quod & in re agraria evenire ſolet, ut canit Lucret: L. II. vers. 1163. edit. Lambin:

Sponte ſua primum mortalibus ipſa (terra) *creavit:*
Ipſa dedit dulces fœtus & pabula læta
Quæ nunc vix noſtro grandeſcunt aucta labore.

Eſt igitur naturæ adhibenda cultura, ſed ita quidem, ut mediocritatis regulas, præſertim in corporis eloquentia addiſcenda, non intermittamus.

§. 179.

nec difficillimæ diffidas

Verum ex adverſo, quibus natura iniquiorem ſe præbuit, & veluti novercam; eis tamen, ut in emendanda natura, ſpem abjiciant, & plane ſegneſcant, multo minus ſim auctor ſuaſorque. Ignaviſſimum quemque maximo deteſtandum opere putamus eſſe. Contrà cogitemus illud: *nihil tam altè natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti.* Curt. L.VII. cap. 11. §. 10. Si ſcrutando tandem ſubegimus cœleſtia: cur non ad concinnitatem rudes corporis revocemus actiones?

Omnia conando docilis ſolertia vincit:
Nec prius impoſuit rebus finemque modumque,
Quam cœlum adſcendit ratio, cœpitque profundam
Naturam rerum cauſſis, viditque quod usquam eſt.

Manil. L. I. aſtronom. vers. 95. ſeq. p. 4. edit. Boecler. cum not. Scalig. 1655.

§. 180.

non miracula exſpectando

Non hîc dicam de extraordinariis, improviſis, & plane mirandis eventibus, quos ſcriptores nonnulli, ſive veros, ſive fictos, ſcriptis concelebratos ſuis, jactare paſſim ſolent. Mutus Croeſi filius, à naturæ vitio repente liberatus, facundiſſimum emendatæ naturæ, ſed non ſemper exſpectandum, exemplum eſt.

§. 181.

§. 181.

Sic enim Valerius Maximus L. V. cap. 4. num. 6. extr. p. 184. edit. Erneſt. Gohl. *Captis à Cyro Sardibus, cùm unus è numero Perſarum, ignarus viri, in cædem ejus* (Crœſi) *concitato ferretur impetu: velut oblitus, quid ſibi naſcenti fortuna denegaſſet*, ne Crœſum Regem occideret, *proclamando, pene jam impreſſum jugulo mucronem revocavit.* quale de Crœſi ſilio Valerius M.

Quod quidem exemplum, in quadam Wurtembergiæ civium familia, ſimili ratione, cognitum fuit. Vid. Lexic. hiſtor. Baſil. in Tit. Jenſch. qui, quod inter poſteros ejus explorato hodie conſtat, à maximo linguæ vitio, ſingulari divina gratia, liberatus eſt.

§. 182.

Sic & Aulus Gellius in noct. attic. L. V. cap. 9. p. 192. edit. Lugdun. 1566. *Filius Crœſi Regis, quum jam per ætatem fari poſſet, infans erat: & quum jam multum adoleviſſet, item nihil fari quibat. - - Quum vero in patrem ejus bello magno victum, & urbe, in qua erat, capta, hoſtis gladio deducto, Regem eſſe ignorans, invaderet: diduxit adoleſcens os, clamare nitens, eoque nixu atque impetu ſpiritûs vitium, nodumque linguæ rupit &c.* Quam emiſerit, in tanto parentis periculo, vocem, Herodotus L. I. cap. 85. p. 36. edit. Gothofr. Jungerm. 1618. memoriæ prodidit: ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Aulus Gell. & Herodotus

§. 183.

Non multum abludit illa, quam Pauſanias de Batto de Pauſanias

de Batto, Cyrenæorum in Africam ductore, tradidit: ἐπιόντων κυρηναίων τὴν χώραν, ἐν τοῖς ἐσχάτοις αὐτῆς ἐρήμοις ἔτι οὖσι, θεᾶται λέοντα, καὶ αὐτὸν τὸ δεῖμα τὸ ἐκ τῆς θέας βοῆσαι σαφὲς, καὶ μέγα ἠνάγκασεν. *Dum Cyrenæi in extrema Africæ deſerta excurrunt, leonem conſpexit: re improviſa territus magnum & clarum neceſſitate cogente ſuſtulit clamorem.* Libr. X. cap. 15. p. 834. edit. Joach. Kuhn. 1696.

§. 184.

ſed ordinariis utendo artificiis

De ordinariis nos tantum, & à quolibet ſedulô calcandis, naturæ emendandæ viis, loquamur. Primo quidem præter illa, quæ ſupra expoſui, præcepta, generalia illa, & ſemper tenenda: domi ſæpius expendendum eſt, quinam maxime geſtus, huic loco, huic tempori, his auditoribus conveniant? Præivit Roſcius, de quo Valer. Max. L. VIII. cap. 7. p. 288. edit. cit., *Ne Roſcius quidem ſubtrahatur ſcenicæ induſtriæ, notiſſimum exemplum, qui nullum unquam ſpectanti populo geſtum, niſi quem domi meditatus fuerat, ponere auſus eſt.*

Quo quis autem diutius congruo geſtui, domi explorationis cauſſa, abhibendo, operam navaverit; quo majorem, frequenti repetitione, conſuetudinem, eundem corporis motum ſæpius exprimendi, contraxerit: eo certius id tandem in alteram naturam abibit ita, ut, quæ ab ineunte ætate, geſtui adhærent vitia, paulatim abſtergantur, eorundemque aut exigua amplius, aut nulla veſtigia compareant.

Pertinent huc ſequentia, de quibus alibi; aſſuefa-

ſuefactio fit, per actionis imprimentis quantitatem. Quantitas vero vel extendit, vel intendit: illa in multitudine, hæc in magnitudine, ſeu in fortitudine collocatur, ad habitum ingenerandum. Multitudinis in agendo efficacia conformatur vulgari illi effato:

Adde parum *parvo magnum cumulabis acervum.*

Et iſti, quod canit Ovidius:

Gutta cavat lapidem, conſumitur annulus uſu
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.

Sed & magnitudinis in comparando habitu non mediocris quandoque efficacia eſt. Sæpe ſingulari caſu alicujus rei faciendæ majojorem conſequimur facilitatem, quam permultis omnino repetitionibus.

Uti facti alicujus ſingularis, ioci inexſpectati, actionis, cum ſingulari noſtra fortuna conjunctæ, v. g. quæ laudem nobis, vel pudorem peperit, memoria, menti interdum penitiſſime infixa eſſe ſolet: ſic & affectûs quoque plane ſingularis & repentini, nec non alius cujusdam caſûs mirifice percellentis ortus, ſæpe motus corporis elicuit, quibus antea ciendis impares fuimus: ut vel exemplo parvulorum, quando primum currere incipiunt, &c conſtat. Quod in exuendis vitiis, quæ corporis eloquentiæ obſtant, tenuiſſe iuvabit.

§. 185.

Secundo naturæ laboranti ſuccurrat exercitatio, in exercendo

ratio, quæ altera illa opportunitas eſt, quâ nos ad corporis eloquentiam idoneos futuros dixi §. 169. Vix ſatis laudare ſibi poſſe videntur Demoſthenem ſcriptores, eo, quod incredibilem in linguæ vitio corrigendo adhibuerit induſtriam.

§. 186.

at fecit Demoſthenes

Valerius Maximus loco, quem §. 184. citavi, in externis, num. 1. ſequentia narrat: *Demoſthenes, cujus commemorato nomine, maximæ eloquentiæ conſummatio audientis animo oboritur, cum inter initia juventæ, artis, quam affectabat, primam litteram dicere non poſſet, oris ſui vitium tanto ſtudio expugnavit, ut ea à nullo expreſſius efferretur. Deinde propter nimiam exilitatem acerbam auditu vocem ſuam EXERCITATIONE continua ad maturum & gratum auribus ſonum perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus vires negaverat, à labore mutuatus eſt.*

§. 187.

ſpeciale ejus artificium

Et ne ſpecialius artificium ignores, quô, in corrigendis his naturæ vitiis, is princeps Græciæ orator, fuerit uſus: pergit citatus ſcriptor: *Multos enim verſus uno impetu ſpiritûs complectebatur, eosque adverſa loca celeri gradu ſcandens, pronuntiabat. Ac vadoſis littoribus inſiſtens declamationes, fluctuum fragoribus obluctantibus, edebat, ut ad fremitus concitatarum concionum, patientiâ duratis auribus, in actionibus uteretur.*

Quo exemplo quidem perſpicue cognoſcitur,

tur, etiam quorum ſpiritus interclufus arcte meat, adhibita tamen induſtriâ corrigi poſſe.

Vocem quoque debiliorem, diuturna exercitatione, tam plenam effici poſſe, ut ne concitatarum quidem concionum fremitu amplius intercipi poſſit.

Nam *ſi exercitatio & temperantia in ſenectute etiam conſervare aliquid priſtini roboris poteſt:* ut Cicero ait, de ſenect. cap. 10. §. 15. quanto magis id fieri poterit, & obtineri in juventute?

§. 188.

Alia ejus ſummi viri artificia, quibus ad corporis eloquentiam ſtrenue contendit, Plutarchus recenſet in Demoſthen. T. I. ed. Xyl. p. 849. litt. B. Πεισθέντα δ' ὅσον ἐκ τῆς ὑποκρίσεως τῷ λόγῳ κόσμου καὶ χάριτος πρόσεστι, μικρὸν ἡγήσασθαι καὶ τὸ μηδὲν εἶναι τὴν ἄσκησιν, ἀμελοῦντι τῆς προφορᾶς καὶ διαθέσεως τῶν λεγομένων. ἐκ τούτου καταγεῖον μὲν οἰκοδομῆσαι μελετητήριον. (ὃ δὴ διεσώζετο καὶ καθ' ἡμᾶς) ἐνταῦθα δὲ πάντως μὲν ἑκάστης ἡμέρας προσιόντα πλάττειν τὴν ὑπόκρισιν καὶ διαπονεῖν τὴν φωνήν. πολλάκις δὲ καὶ μῆνας ἑξῆς δύο καὶ τρεῖς συνάπτειν. ξυρούμενον τῆς κεφαλῆς θάτερον μέρος ὑπὲρ τοῦ μηδὲ βουλομένῳ πάνυ προσελθεῖν ἐνδέχεσθαι δι' αἰσχύνην.

aliud

§. 189.

Ut jam intellexit, quantum ex actione dignitatis atque venuſtatis accederet orationi, rem tenuem atque inanem duxiſſe declamationem ſi PRONUNTIATIONEM atque ACTIONEM negligas: hinc cellam ædificaſſe ſubterraneam,

raneam, in qua lucubraret : quæ exſiſtit etiam noſtro ævo. Huc ſe omnino quidem quotidie contuliſſe, dicunt, *ad formandam actionem & effingendam vocem : ſæpe menſes ibi continuaſſe duos aut tres, ac raſiſſe capitis alteram partem, quò, ne ſi ſumme quidem cuperet, prodire auderet verecundiæ cauſſa.*

Quodſi hac exercitatione illi uterentur, qui ſive ſacræ, ſive profanæ ſunt deſtinati oratoriæ: dubium non eſſet, quin & linguæ vel tarditas, vel volubilitas, vocis ingratus ſonus, corporis ſive immoti rigor, ſive nimium mobilis vana geſticulatio, vultus ſive levitas ſive torvitas, adhibita quotidiana diligentia emendari poſſet.

§. 190.

confirmatur Idem generatim ſcribit Dionyſ. Halicarn: *περὶ τ. Δημοσθ. δεινότητος* p. 195. edit. Sylburg: *καὶ γὰρ τὰ παθητὰ τῆς φωνῆς καὶ τὰ σχήματα τοῦ σώματος, οἷς κράτιστα ἔξειν ἔμελλεν, οὐ μικρῷ πόνῳ κατειργάσατο, καί τοι φύσει πρὸς ταῦτα οὐ πάνυ εὐτυχεῖ χρησάμενος, ὡς Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς φησὶ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες οἱ τὸν βίον αὐτοῦ συγγράψαντες* : quod ita interpretor: *Nam & ea, quæ in voce affectum concitare poterant, & quæ ad corporis habitum pertinent, quibus præſtantiora conſecuturus erat, magno ſibi labore comparavit : quamvis ad ea omnia naturam haberet novercam, ut auctor eſt Demetreus Phalereus, reliquique omnes, quotquot ejus vitam conſcripſerunt,*

§. 191.

alia opportunitas Faciet huc illa quoque opportunitas, quam lauda-

laudatus Scriptor, loc. cit. ſubminiſtrat: ἡ λέξις μὲν οὖν, εἴποιμ᾽ ἄν, οἰκείως κατεσκεύασαι πρὸς ταῦτα μεστὴ πολλῶν ἐστα ἠθῶν καὶ παθῶν, καὶ διδάσκουσα οἵας ὑποκρίσεως αὐτῇ δεῖ ὥστε τοὺς ἀναγινώσκοντας τὸν ῥήτορα τοῦτον ἐπιμελῶς χρὴ παρατηρεῖν ἵνα τούτων ἕκαστα λέγηται τὸν τρόπον, ᾧ ἐκεῖνος ἐβούλετο *Dictio enim* (Demoſthenis) *convenienter accommodata eſt adhæc omnia: plena quippe eſt captatæ benevolentiæ & affectûs, quæ unà docet, qua actione eam oporteat pronuntiari: ita, ut qui oratorem hunc legunt, obſervare merito debeant, ut eo quidque modo pronuntient, quo Demoſthenes ea voluit pronuntiata.*

§. 192.

Nempe optimi cujusque oratoris ſcripta, quæ vim habent, non legenda tantum frequentius, ſed crebro etiam, intra privatos parietes, periculum faciendum, quo quidque geſtu, quo vocis modulo, quo motu manuum, pronuntiari conveniat: hoc ſane effectu, ut, quæ parum decora in nobis exſiſtunt, ſenſim deponamus, quæ autem concinna, quæ cum affectu excitando conjuncta, ea omnino nobis magnopere ſequenda proponamus. explicatur

Præterquàm enim, quod recitatione orationis privata, memoriæ etiam eximie conſulatur; quæ ſæpius eadem repetendo, tandem, quæ neceſſaria ſunt, conſervat tenaciſſime, ac ſine oblivionis periculo majori:

tum vero & id expendi meretur, privata, quam h. l. commendamus, præparatione, animum ad ſingula attentius adplicatum, in omnium

um rerum dicendarum naturam felicius penetrare: ut, quo quæque res ſono, quo motu corporis, quo vultus habitu, pronuntianda ſit, egregie conſtituere ſecum orator poſſit.

Diſpiciendum ei porro eſt, hoc ſequenti conſilium: qua quidvis occaſione à ſcriptoribus eloquentibus dictum; quos quæque occaſio affectus poſcat, quem quisque affectus vocis ſonum, vultus nutum, corporis motum requirat; quis vocis ſonus, quæ vultûs compoſitio, quis denique corporis geſtus non affectatus, ſed à natura tributus, ad pareat?

§. 193.

non obſtat naturæ difficultas

Neque quemquam, quod iterum non ſine cauſſa moneo, naturæ impotentia deterrere debet: quam vinci, & expugnari poſſe, toties commendati Demoſthenis exemplum, de quo Tullius ſingularia tradit, commonſtrat. Ita enim Cicero de oratore L.I. T.I. edit. Gothofr. p. 193. litt. B. C. *Demoſthenem in quo tantum ſtudium fuiſſe, tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturæ, diligentia induſtriaque ſuperaret, cumque ita balbus eſſet, ut ejus ipſius artis, cui ſtuderet, primam litteram non poſſet dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur.*

§. 194.

quin potius hoc obſervandum

Deinde, cum ſpiritus ejus eſſet anguſtior, tantum continenda anima in dicendo eſt aſſecutus, ut una continuatione verborum, (id quod ejus ſcripta declarant) binæ ei contentiones vocis, & remiſſiones continerentur. Qui

etiam,

etiam, ut memoriæ proditum eſt, conjectis in os calculis, ſumma voce, verſus multos, uno ſpiritu, pronuntiare conſueſcebat, neque is conſiſtens in loco, ſed inambulans, atque adſcenſu ingrediens arduo.

§. 195.

Speculi heic & quasdam partes eſſe, tritiſſimum famâ, Demoſthenis exemplum declarat: de quo in Apolog: Apulejus p. 283. edit. Elmenh. ita ſcribit: *Demoſthenem vero, primarium dicendi artificem, quis eſt qui non ſciat ſemper ante ſpeculum, quaſi ante magiſtrum, cauſſas meditatum: ita ille ſummus orator, cum à Platone philoſopho facundiam hauſiſſet, ab Eubulide dialectio argumentationes edidiciſſet, NOVISSIMAM PRONUNTIANDI CONGRUENTIAM AB SPECULO PETIVIT.* artificium à ſpeculi uſu ſumtum.

§. 196.

Accedit ſummum hujus quidem, quæ à corpore proficiſcitur, eloquentiæ præſidium, quod in ipſa πράξει & experientia collocatur. Experientia ad omnes, quæ rem circumſtant, individuas conditiones, exporrigitur, de quibus regulas generales, ante rei ipſius uſum, tradere, ob infinitam varietatem, nemo poteſt. Si mille præcepta perdidiceris; ſi optimis ingenii viribus ſis inſtructus; ſi privata meditatione & actione perpetua, nec interrupta unquam, exercearis; neque tamen in concionem prodeas tempore ullo; nec id feceris ſæpius, nec adhibitis præcipue commendatur praxis, ſecundum medium

hibitis tuorum geſtuum obſervatoribus quos poſtea monitores habeas; nec judicium publicum exploraveris, ut, pro ejus ſenſu, ſubinde te componas: ſemper manebis timidus, ſemper rudis, nonnunquam frigidus, certe quidem fluctuans, tenuis, nec magna laude dignus orator.

Nam uti ſine maris periculo nauta, ſine belli diſcrimine miles, ſine agro proſciſſo ruſticus, ſine exercitatione muſicus, vel mille præceptis parum profecerit: ſic nec ſine uſu & experientia in hoc quidem ſtudiorum genere incrementa quisquam capiet.

Bene Cicero de offic. L. I. cap. 18. edit. Roth. p. 203. ſeq. *hæc igitur & talia circumſpicienda ſunt in omni officio, & conſuetudo exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo deducendoque videre, quæ reliqui ſumma fiat, ex quo quantum cuique debeatur, intelligas.*

Sed, ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu & exercitatione conſequi poſſunt: ſic officii conſervandi præcepta traduntur illa quidem, ut facimus ipſi: SED REI MAGNITUDO QUOQUE USUM EXERCITATIONEMQUE DESIDERAT.

§. 197.

cur? Multa ſunt, ex quibus nonnulla dixi, quæ, ad

ad formandam corporis eloquentiam, faciunt præcepta: plura autem, quæ nec à me, nec ab alio quoquam præſcribi, ſed uſu & experientia ſenſim perdiſci, neceſſe eſt. Optime Demea apud Terentium in Adelph. Act. V. ſcen. 4. verſ. 1. ſeqq.

Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit
quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi:
aliquid moneat: ut illa quæ te ſcire credas, neſcias,
&, quæ tibi putâris prima, in experiundo ut repudies.

§. 198.

Sine experientia, quidquid rerum cæterarum, ad hanc corporis eloquentiam, pertinentium, tibi perſpectum, excultum, frequentatumque ſit: alio haberi loco non poſſis, quam Phormio ille philoſophus, cujus de re militari præcepta, ab Hannibale, illo romanorum terrore bellico, deriſa fuiſſe, Tullius ſcribit de oratore L. II. p. 99. columm. a. b. edit. Schrev. *cum Annibal Carthagine expulſus Epheſum ad Antiochum veniſſet exul: proque eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, ut eum* (Phormionem) *quem dixi, ſi vellet, audiret: cumque ſe non nolle dixiſſet, locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas de IMPERATORIS OFFICIO, & de omni re militari. Tum cum cæteri, qui illum audierant, vehementer eſſent* praxeos neceſſitas

delectati, quærebant ab Hannibale, quidnam ipſe de illo philoſopho judicaret? hic Pœnus non optime græce, ſed tamen libere reſpondiſſe fertur: Multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe: ſed qui magis quam Phormio deliraret, vidiſſe neminem.

Neſcio, an cum philoſopho hoc, illi oratores pro ſuggeſtu ſacro comparari poſſint, qui de rebus divinis, quas nullo unquam tempore ſunt experti; ſed ex ſolis aliorum ſcriptis deſumſerunt, verba facere haud quaquam dubitant.

Qui e. c. dicendo unionem myſticam deprædicare conſtituit orator; quem nullus unquam tantæ felicitatis radius exhilaravit; tametſi notiones de illa chriſtianorum prærogativa aliunde hauſtas, verbis non peſſime exprimat: is & affectu & πληροφορίᾳ carebit, quâ tangitur alius, tantæ profecto gratiæ non expers.

Ubicunque autem ille affectus deſideratur, quem res, de qua loquimur, depoſcit: ibi nec reſpondebunt corporis motus, nec auditores ab eloquentia quantalibet vim animo unquam concipient talem, qualem ſentire tum licet, ubi cum cognitione experientia conjungitur.

§. 199.

praxeos neceſſitas.

Si ex nullo alio exemplo, ſane ex hoc, quantum interſit, viam præceptorum, ac praxeos inter, clariſſime eluceſcit. Cum enim in omni diſciplina, haud inconſulto conatu, quin potius *prudenter, i. e.* habito ad praxin ſemper reſpectu, juxta illud Euripidis in Iphigen.

Act.

Act. IV. p. 329. edit. Gaſtb. Stiblin. Baſil. verſandum ſit:

λελογισμένοι γὰρ οἱ τοιοίδ' εἰσὶ βροτῶν
ὀρθῶς διαζῆν τὸν βίον γνώμης μέτα.
Sapientis ſunt hæ rationes hominis
Tranſigere & gubernare vitam cum prudentia:

profectò, quin & in hac ſtudiorum parte, ut in reliquis cunctis, exercitatione opus ſit, vel me tacente, intelligetur.

§. 200.

De multis crebro, poſſintne fieri, annon? tam diu dubitamus, dum eorum uſus & experientia, nos certos, & ab ancipiti conjectura, liberos, præſtet: continuatur

Διάπειρά τοι
βροτῶν ἔλεγχος
Experientia utique
Mortalium eſt convictio

Pindar: Ὀλυμπ. Δ. ἀντιστ. α. κώ. ιϛ. p. 135. edit. Eraſm. Schmid. itaque, quantum in auditorum animis, oratoris geſtus efficere poſſit, prius non cognoſcas, quam verba pro concione faciendo publice, ipſe frequentiora ceperis experimenta.

§. 201.

Hanc igitur exercitationem publicam commendamus, huic ineſſe plurimum præſidii deprædicamus, hac ſemper utendum arbitramur: *quoties cum auditorum* attentione, *deinde* voluptatis ſenſu, *poſtea eorundem* affectu, *denique* ad plauſu & laude, prodire in pub- effectus ejusdem

 licum,

licum, oratorem agere, &, quod huic propoſitum eſt, dicendo conſequi, cum animo ſtatuimus. Hanc eſſe experientiam, corporis eloquentiæ parandæ inſervientem, ἡ παντὸς λόγυ κρείττων πεῖρα ἡμῖν μαρτυρεῖ, *experientia, omnibus verbis potior, teſtatur.* Dionyſ. Halicarn. L. III. p. 148. lin. 47. ed. Sylburg.

Exercitatio animum addit, doctrina ſcientiam: illa objicit, quæ nulla unquam doctrina ante rerum uſum, exponere poteſt: hæc monſtrat, ſine quibus nulla unquam exercitatio, ab empiricorum fraudibus, erroribusve tuta manere poteſt: illa afficit animum, hæc erudit mentem: illa ſingularia docet, hæc generalia. De doctrina vero jam ſequens comma, cum reliquis, plura quidem ſuppeditabit.

§. 202.

tertium hujus eloq. med. μαθήσις

Accedit ad exercitationem tertium comparandæ hujus eloquentiæ artificium, quod ponitur in μαθήσει, ſeu arte; & doctrina. Nititur vero ars ſeu doctrina duobus potiſſimum fulcris: quorum alterum in præceptis fundatum alterum vero in exemplis.

§. 203.

quibus partibus contineatur?

Eo ſpectat Ciceronis ad filium Marcum directus ſermo, egregio de officiis libello præmiſſus L. I. c. 1. §. 1. *quanquam te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet præceptis, inſtitutisque philoſophiæ, propter ſummam & doctoris auctoritatem, & urbis; quorum alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis:* & qu

quæ verba, in quo μάθησις collocata ſit, haud obſcure ſignificant: *nimirum* ad ſcientiam, quæ præceptis continetur, ex arte petendis, exempla, in eadem arte peritiſſimorum accedant neceſſe eſt.

§. 204.

Itaque de præceptis primo agendum loco: quorum alia ad iſtud hominum genus omne pertinent, quod huic, de qua quæritur, arti ſtudet; alia autem ſunt hominum ſingulorum, ita quidem, ut, ſi duo idem ſequendum putarent, revera idem non eſſet. Illa generis præcepta vocare licebit, hæc individuorum. Illa ex libris ſummorum oratorum haurienda, hæc ex ſingulari demum uſu noſtro & exercitatione. Illa igitur in decoro, quod omnes artis ſtudioſos exornat, ponuntur fundanturque, hæc in ſingulari convenientia, quæ non decet, niſi hunc unum. Utrorumque præceptorum fundamenta erui §. 47. 48. quorum in memoriam ut redeat benev. lector, eſt, cur enixe rogem. **præcepta hujus artis quotuplicia**

Præcepta ſingulorum in varias iterum claſſes diſpeſci poſſunt. Aut enim pertinent ad ſingulos homines, qui oratoriæ ſtudent, aut ad ſingulos ordines, aut ad ſingulas ætates.

Non omnis oratoria actio, quæ Titium decet, decet quoque Sempronium: illum forte gravitas, hunc in geſtu comitas condecorat.

Nec iidem geſtus in omnes ordines, dignitatesque cadunt.

Eccleſiaſtico oratori convenit vultus ad pietatem ſignificandam compoſitus, ex quo eluceat modeſtia & religio, ſed tamen haud fucata, aut affectata conſulto.

Politicum oratorem vultus, prudentiæ index, nec à dignitate disjunctus, exornat.

Aulicum nitor, elegantia, ſuavitas, habitus concinnus, & quidquid externo corporis ſplendore gratiam inire poteſt, commendat.

Diverſarum quoque ætatum varia eſt eloquentia corporis. Pueros decet acuta vox, corporis agilior motus, oculus vivax, velocioris ingenii ſpeculum.

Vir contra maturæ ætatis, ac ſubacti judicii, toto corpore firmioris animi argumenta præ ſe ferat neceſſe eſt.

Frons gravis, oculus conſideratior, vox plena & maſcula, geſtus à muliebri mollitie remotiſſimus.

§. 205.

præcepta generis quomodo tractanda

Præcepta generis tum in veterum ſcriptis, v. g. *Ciceronis, Quinctiliani,* &c tum in recentiorum, v. g. Gerhard. Joh. Voſſii in inſtit. orat. L. VI. c. 8. & ſeq. p. 514. ſeqq. edit. 1643 aliisque compluribus paſſim invenias, ſi qua adjumenta hæ noſtræ præſtiterint chartæ: finem quem præfiximus, certe ſumus conſecuti. Verum non legenda ſolum, ſed & memoriæ tradenda, ruminanda, meditanda tamdiu ſunt: donec primo utilia eadem eſſe in ſe luculentiſſime intellexeris; ſecundo, quod

ampliu

amplius eſt, & tibi profutura omnino ſenſeris; tertio, quod maximum, ea ſic animo volveris, revolverisque, ut eorum recordatio, animum, in omni caſu, quotiescunque opus eſt, afficiat, affectum, corporis ad ea componendi cupidum reddat, redditumque quâdam ſic agendi exornet promptitudine. Paucis ſic plurima complector.

Hâc via omnes artes diſcuntur. In diſciplina præſertim morum, quæ ad emendandum animum pertinet, id primum eſt, ut virtutis neceſſitatem, utilitatemque intelligas: tum ut & eam tibi profuturam eſſe, perſuadearis: præterea, ut ejus colendæ incitamenta, in omni caſu, HIC & NUNC, partim animum moneant, parrim eundem ad obſequia virtutis moveant.

Sunt, qui honeſta quidem intelligunt; ſed ita, ut ipſo vitæ uſu, ea ad ſe pertinere nihil arbitrentur. Sunt, qui ea ad ſe referunt, ſibique injuncta eſſe agnoſcunt; ſed quorum nondum tam firmata in virtutis exercitio facultas eſt, ut in omni omnino caſu ſubiret animum: QUOD, QUOMODO, QUARE hoc aut illud honeſtum perſequendum ſit?

Sunt denique, quibus & generatim, virtutem colendam, & ſpeciatim ſibi ſequendam, perſuaſum eſt; & tanta etiam ejus exercendæ facilitas comparata, ut nulla exſiſtere occaſio

poſſit, in qua ſe honeſtatis ſtudium non exſerat. Quod quidem genus hominum, uti rarum, ſic longe præſtantiſſimum eſſe, ex ſe quisque haud difficulter cognoſcit.

§. 206.

Præcepta ſingulorum duobus adjumentis diſcuntur.

Præcepta vero ſingulorum, quæ tibi conveniunt uni, quæque nequeas ex libris intelligere, ut conſequare ſenſim, plenum laboris & exercitationis, arduumque opus eſt. Duo heic potiſſimum adjumenta inſervire illi poterunt, corporis eloquentiam, qui excolere ſtuduerit. Primum poſitum eſt in privato alicujus monitoris, alterum in publico populi, ad quem verba facienda ſunt, judicio.

§. 207.

adjumentum primum

Veteres in ſcena monitoribus ſtipatos fuiſſe, qui allucinantibus paſſim verba ſubjiciebant, Feſtus in voce (*Monitores*) p. 321. auctor. lat. in corp. redact. edit. 1595. docet his verbis: *Monitores dicuntur, & qui in ſcena monent hiſtriones, & libri commentarii :* quidni orator amicum ſubſtituat monitorem, qui oratoris in pronuntiando actionem obſervet, obſervatam, quousque decora ſit nec ne, cum illo communicet, ideoque occaſionem, quod dedecet fugiendi, peropportunam exhibeat?

§. 208.

probatur

Præterquam enim, quod ſuum cuique pulcrum ſit, ac ſibi quisque, in eo, quod agit, maxime placeat;

- - - egomet mî ignoſco Mævius inquit
Stultus & improbus hic amor eſt dignusque notari

deni-

- - - - denique te ipſum
Concute, num qua tibi vitiorum inſeverit olim
Natura aut etiam conſuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Horat. ſat. 3. L. I. v. 23. 24. 34. 35. &c ex quo conſequitur, ut, in decori judicio noſtri, non admodum rigidos nos præbeamus cenſores: id ſane etiam monitoris cujusdam neceſſitatem ſuadet, quod vel ii, qui magnopere ſibi non placent, non tamen ſemper, qui corporis motus in perorando parum deceat, ex ſe ipſis ſentiant.

§. 209.

Maxime autem illius populi, ad quem verba facienda ſunt, ſenſus explorandus eo conſilio eſt, ut, ad ipſius maxime favorem conciliandum, actionem componas oratoriam. Habemus hîc Demoſthenem præeuntem, de quo Plutarch. in X. orator. Vit. p. 845. T. II. edit. Xyl. ἐκπεσὼν δέ ποτε ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας καὶ ἀθυμῶν ἐβάδιζεν οἴκοι συντυχὼν δὲ αὐτῷ Εὔνομος ὁ Θριάσιος πρεσβύτης ἤδη ὢν προετρέψατο τὸν Δημοσθένην μάλιστα δὲ ὑποκριτὴς Ανδρόνικος, εἰπὼν ὡς οἱ μὲν λόγοι καλῶς ἔχοιεν, λείποι δὲ αὐτῷ τὰ τῆς ὑποκρίσεως. *Quodam tempore cum ejectus è concione mœſtus domum abiret, Eunomus ei Thriaſius occurrit ſenex, atque cohortatus eſt. Maxime autem confirmatus eſt ab Andronico hiſtrione, eique operam dedit, edoctus ab eo, orationes ſuas bene habere, ſed actionem iis deeſſe.*

adjumentum ſecundum

Cavendum vero, ne hoc fiat, vanæ ductu

 cujus-

cujusdam ambitionis. quà, præſertim in oratore ſacro, fœdius ne fingi quidem quidquam poteſt.

Deteſtamur illos, quibus non tam, quantum ſuorum animos emendaverint, quam quanto placuerint opere, curæ, cordique eſt: qui quaslibet domos honoratiorum obeunt, ut in partes trahere, ſuæque laudis præcones conciliare poſſint. Exemplum habetur 2. Tim. 3. v. 6. Immo hodie nobilis ordo, qui ſuprema opum faſtigia attigit, documento eſſe inſigni poteſt.

Corinthii etiam plus externæ actionis oratoriæ radio, quo quidem præ Paulo reſplendebat Apollo, 2.Cor. 10. v. 10. collat. cum 1.Cor. 1. v. 12. capti fuiſſe videntur, more eo, qui tum Græcos, extrinſeco decore facile commovendos, occupavit: quam Pauli in docendo divinis viribus, nulli ſecundis apoſtolo.

§. 210.

probatur Accommodanda nimirum erat oratio ad græci populi genium, qui ſcenicis actionibus ſæpe delectatus, externi in agendo ſplendoris oratorii (ſic enim Cicero loquitur offic. L. I. præfat. §. 10.) amorem ſenſim ſenſimque concepit. Hinc de judicio publico, in ſuas partes alliciendo, ſoliciti ſemper fuere comici, quos, ut Roſcii & Ciceronis exemplo cognoſcitur, oratores, quoad licuit, imitati ſunt. Certe Terentius in Andr. prol. verſ. 24. ſeq. populi favorem his verbis captat:

Favete adeſte æquo animo rem cognoſcite,
Ut pernoſcatis ecquid ſpei ſit reliquum

Poſthac

Poſthac quas faciet de integro comœdias
Spectandæ an exigendæ ſint vobis prius.

§. 211.

Ex amicorum igitur judicio tam privato, quam populi publico, quæ tibi ſingularia ſequenda ſint præcepta, ſi fueris animo docili atque adtento, tanto facilius intelliges, quo certius eſt, quæ ad individuum decorum in perorando pertinent, non ex libris, ſed ex uſu & exercitatione perdiſci, quibus rebus plus proficitur, quam reliquis omnibus, quæ in aliorum poſita ſunt imitatione. conſectarium

Coëat igitur commilitonum ternio, quaternioque, hac potiſſimum lege, ut in alium verba faciendi munus conferatur, alii vero ſe interim illius judices præſtent: ut, quid in voce, quid in vultu, quid in reliqui corporis omni motu, ad affectus orationi convenientes excitandos, ad rerum, quæ dicuntur, characteres depingendos, vel erratum, vel non ſatis feliciter actum eſt, amico arbitrio monere, atque mox ſimilem operam, idem examen ſubituri, ab eodem exſpectare poſſint.

§. 212.

Ad præcepta, exemplorum quoque typus ut accedat, neceſſe eſt. Sed idem hic obſervandum, quod in præceptis conſiderandum dixi: quorum uti alia generalia ſunt, quæ plures artis ſtudioſos ſequi, par eſſe cognoſcitur; alia vero ſingularia, quæ docent, quæ mihi ſeorſum, nec alteri ulli, gratiam concilient: ſic exſiſtunt quoque partim exempla, quæ imitari exempla alteram μαθησεως partem conſtituunt quotupl. gen.

liceat

liceat pleriſque, partim vero exempla plane heroica & ſingularia, quibus tantum abeſt ut occupari debeas imitandis, ut potius in aliorum ſis incurſurus ludibrium, ſimulatque, invitâ Minervâ, eorum tibi ſequenda eſſe veſtigia, duxeris.

§. 213.

probatur exemplorum genus unum

Quod in hypotheſi diſciplinæ moralis Cicero judicat L. I. de offic. cap. 41. §. 11. *neque quemquam hoc errore duci oportet, ut, ſi quid Socrates aut Ariſtippus contra morem conſuetudinemque civilem fecerint, locutive ſint, idem ſibi arbitretur licere.* MAGNIS ILLI & DIVINIS BONIS HANC LICENTIAM ASSEQUEBANTUR: idem de omni diſciplina, ideoque & de corporis eloquentia, verum eſt, non eſſe cuilibet imitandos viros plane ſingulares, heroico in omni eloquentia ſpiritu, afflatos.

§. 214.

Lepide id exprimit Phædri fabula 24. L. I.

Inops potentem dum vult imitari perit
In prato quodam rana conſpexit bovem
Et tacta invidia tantæ magnitudinis
Rugoſam inflavit pellem: tum natos ſuos
Interrogavit, an bove eſſet latior?
Illi negârunt; rurſus intendit cutem
Majore niſu: & ſimili quæſivit modo
Quis major eſſet; illi dixerunt bovem.
Noviſſime indignata dum vult validius
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

objectio ſolvitur

§. 215.

Quamvis enim Plinius junior de ſe dicere potu-

potuerit: L.I. epiſt. 5. p. 15. edit. Minell. 1712. *eſt mihi cum Cicerone æmulatio, nec ſum contentus eloquentia ſeculi noſtri. Nam* STULTISSIMUM CREDO, *ad imitandum non optima quæque proponere:* tamen id vel Plinius tantùm, & Plinii ſimiles de ſe gloriari poſſunt, reliqui inferiores non poſſunt; vel de eo, quod in quoque imitabile eſt, intelligendum erit. Quæ vero in viris, plane ſingulari donorum adparatu inſtructis, inimitabilia ſunt, (dari vero talia, vel illud Paterculi L. II. cap. 97. de Druſo Claudio dictum docet: *morum certe dulcedo ac ſuavitas, & adverſus amicos æqua ac par ſui æſtimatio* INIMITABILIS:) ea à nullo proponi poſſe ſequenda, ipſa ratio dictitat.

Inimitabilis maxime natura eſt, cui, adhibitâ induſtriâ quidem, alteram interdum naturam ſurrogare, i. e. conſuetudinem in contraria tendentem gignere licet: id tamen, ni circumſpectus ſis, ſine periculo primæ recurſuræ, facere non licet.

Quid? quod id in voluntatis potiſſimum propenſionibus, ut naturam aliquandiu expellas, proſpere ſuccedat: in viribus ingenii, ſeu corporis, ſpeciatimque vocis, vultûs, oculorum nutûs, motûs manuum, commutandis, proſpere non ſuccedat.

Quem natura voce exili inſtruxit: quomodo plenam & heroicam imitetur cum ſucceſſu? Qui vultu ſubtriſti & moroſo, à natura dato, comparet: qui poſſit æmulari decoram vultus excitatioris auctoritatem? Di-

Diſtinguamus igitur id, quod hinc à natura, illinc ab arte proficiſci cognoſcitur: hoc nobis imitandum proponamus: illud nos magis è longinquo ſecuturos, quam aſſecuturos eſſe, cogitemus.

V. G. Tardam alterius pronuntiationem perperam ille imitatur, qui per naturam non utitur, nec uti poteſt, niſi ſtylo circumſcripto: cum longo temporis ſpatio vix pauca auditor addiſcat.

Et viciſſim celerem Titii & volubilem linguam, imprudenter adſciſcit, qui nervoſo dicendi genere pollet: obruitur enim auditor plurimarum rerum, brevi tempore propoſitarum, multitudine. Pronuntiatio velox circumſcripto ſtylo: tardior autem ſuccincto dicendi generi convenit.

Proinde non omnia omnibus imitabilia ſunt: quod ut in omni, ſic in præſenti quoque, negotio, inprimis obſervandum.

§. 216.

alterum genus exemplorum

Intueamur igitur illa exempla, corporis eloquentiam exculturi, quæ noſtræ naturæ propiora ſunt, quæque adeo, ob ſimilitudinem, ſui quendam amorem, tacito motu, nobis ingenerant. *Vix autem dici poteſt, quanto libentius imitemur eos, quibus favemus.* Verba Quinctiliani ſunt, inſt. Orat. L. II. c. 2. p. 81. edit. Obrecht. Quod etiam in legendis auctoribus obſervandum. Neque enim homini, quem temperamento, quod vocant, ſanguineo, diſtin-

diſtinctum dixeris, Livii, aut Cæſaris, quin potius Curtii, aut ſimilis auctoris ſcripta, fabularum quas romanenſes vocant, ſtylo inſignita, commendaverim: neque homini melancholico ero unquam auctor, ſuaſorque, ut in actione oratoria id imitandum putet, quod de Attico ſcribit Nepos XXV. cap. 1. §. 3: *erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, ſumma ſuavitas oris ac vocis, ut non ſolum celeriter acciperet, quæ tradebantur,* ſed etiam excellenter pronuntiaret: quin potius, naturam ut ſequatur, judicabo conſultum, quam ſi condire ſuavitate nequeat, gravitate adſperſa tamen, religioſam adſpectu auditoribus exhibeat.

§. 217.

In exemplis igitur, reſpectu noſtri imitabilibus, id primo cavendum, ne, ſpecie decepti externa, vitia pro virtutibus ſequamur. Sæpe videas, auctoritate pollentes, dum tolerabili in actione oratoria vitio laborant, tanto ab ineptis quibusdam obſervatoribus ſtudio coli, ut, ſi alia non recte pronuntiant, alia corporis non undiquaque accommodato moto exprimunt, ea illi adſciſcere, pulcrum arbitrentur, & omnino decorum: in quo magno falluntur opere. in illis vitia non imitanda

Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua
Dum ſtudet urbanus, tenditque diſertus haberi
Decipit exemplar vitiis imitabile. Quodſi
Pallerem caſu, biberent exſangue caminum

O imi-

O imitatores ſervum pecus, ut mihi ſæpe,
Bilem, ſæpe jocum veſtri movere tumultus
Horat. epiſt. 19. L. I. verſ. 15-20.

Sæpe oris titubantia neſcio quid gratiæ in Sempronio habet: quam ſi forte Titius imitetur, nihil eo cogitari ineptius poteſt.

Sæpe à Cajo, affectu graviore commoto, brachia plus juſto jactari, non iniquo ferimus animo: quem ſi alius æmuletur, dici vix poteſt, quantopere audientium animos offendat.

Sæpe vox tarda in alio gravitatis ſpeciem habet, quam ſi alius, invita natura, ſibi adſciſcendam eſſe putet: adeo à ſcopo oratoris, qui ad commovendos auditores pertinet, aberrat; ut ſomnum magis eisdem, quam motum inducere & videatur, & ſoleat.

§. 218.

ſed obſervanda tantum

Conſultum autem ex adverſo judicamus, aliorum vitia hôc intueri animô, ut ſimilia in nobis, pro re nata, & oblata occaſione, ſtudioſiſſime declinemus. *Quo in genere non eſt incommodum, quale quodque eorum ſit, ex aliis judicare: ut, ſiquid dedeceat in aliis, vitemus & ipſi. Fit enim neſcio quo modo, ut magis in aliis cernamus, quàm in nobismet ipſis, ſi quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in diſcendo, quorum vitia imitantor emendandi cauſſa magiſtri.* Verba Ciceronis ſunt, L. I. offic. cap. 41. §. 3. 4. 5.

Omnia in rem vertere ſuam homo prudens & poteſt, & debet. Vitia obſervat, ut evitet; virtutes, ut imitetur. Totius

hinc

hinc hiſtoriæ utilitas pendet, quæ rerum præteritarum memoria ſapere docet. Quare & circa ea, quæ coram ſunt, fieri eadem poſſe, non difficulter intelligitur.

Ex hominis immoti in dicendo rigore, quantum interſit, geſtuum decoro, ſermonem ut exornes, perdiſcito. Ex auſtero, tetricoque oratoris vultu, quantopere referat, gravitatem, ſi qua te conſpicuum credis, comitatè condire, intelligito.

Similia de reliquis, quæ occurrunt, aliorum erratis, judicanda eſſe, ſine verborum ulteriori additamento, conjectabis.

§. 219.

Si, quamobrem aliorum facilius vitia deprehendamus, quam noſtra ipſorum, exputare velis; nulla alia cauſſa occurret, quam depravatæ philavtiæ ratio, inde à protoplaſtorum crimine adverſus DEum primo, ad nos usque pro pagata. Cur?

Peras impoſuit Jupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit;
Alienis ante pectus ſuſpendit gravem
Hâc re videre noſtra mala non poſſumus
Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

Phædr. L. IV. fab. 9. p. 62. Adde Terent. Heavt. Act. III. ſc. 1. verſ. 97. ſeq.

Itan' comparatam eſſe hominum naturam omnium:
Aliena ut melius videant & dijudicent
Quam ſua? an eo fit, quia in re noſtra aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine.

§. 220.

Imitandæ autem virtutes

Uti vitia declinanda, ſic virtutes optimorum quorumque oratorum imitandæ, & novo exemplo exprimendæ ſunt. Hîc autem opus eſt natura non admodum ejus diſſimili, quam imitabere, ne pecces in id, quod §. 213. 214. obſervatum eſt. Pana non imitabitur feliciter, niſi qui jam artis depoſuerit tyrocinia:

Mecum una in ſylvis imitabere Pana canendo

nec ſummos ſequi oratores poſſumus, corporis eloquentiâ, niſi nos eò natura potius duxerit, quam nos naturam.

§. 221.

affectus

Sic &, qui peraccommodatos oratoris, affectu commoti quôdam, geſtus, in ſua effingere perſona cupit: eum eodem affectu concitatum ſucceſſus beabit exoptatiſſimus: ſin minus; affectati, inepti, nec jucundi corporis motus erunt.

Heu mihi difficile eſt imitari gaudia falſa
Difficile eſt triſti fingere mente jocum
Nec bene mendaci riſus componitur ore
Nec bene ſollicitis ebria verba ſonant

bene omnino cecinit Tibullus L. III. eleg. 7. verſ. 1. ſeq.

Sic equidem exiſtimo, illud v. g, oraculum, quod Joh. 12. v. 27. legitur de Servatore, neminem, niſi ſimili triſtitiæ divinæ affectu tactum, nec eloquentia mentis, nec corporis, unquam aſſecuturum eſſe. Faciat rei periculum, qui meis his verbis fidem tribuendam eſſe, ſive negat, ſive dubitat.

§. 222.

§. 222.

Iuvabit etiam in imitandis aliorum, qui corporis eloquentia prælucent, exemplis, eandem organorum corporis, quibus oratoria actio perficitur, ſuſcipere curam, quam ab illis geſtam, veterum documenta commonſtrant. De Nerone Suetonius cap. 25. p. 211. edit. Boxhorn. 1668. *Ac poſthac tantum abſuit à remittendo laxandoque ſtudio: ut conſervandæ vocis gratia, neque milites unquam, niſi abſens, aut alio verba pronuntiante, appellaret: neque quidquam ſerio jocove egerit, niſi adſtante phonaſco, qui* MONERET, PARCERET ARTERIIS, *ac ſudarium ad os applicaret.* cura organorum corporis gerenda.

§. 223.

Pertinet huc Tullii L. III. ad Herenn: conſilium, Tom. I. p. 37. edit. Gothofr. *firmam igitur maxime poterimus in dicendo vocem conſervare, ſi quam maxime ſedata & depreſſa voce principia dicemus. Nam* LÆDUNTUR ARTERIÆ, *ſi, antequam leni voce permulſa ſunt, acri clamore compleantur.* probatur ulterius

§. 224.

Sic igitur excellentium oratorum actionem imitabimur, ut primo an concinna ſit, tum à quo ſit profecta, præterea cur maxime placeat, porro quomodo ſuſcepta, noviſſime quo in auditorum animis effectu fiat, nobiscum adcurate conſtituamus. imitandi opportunitas nervoſe contracta

Primam quidem cautionem ſi adhibueris, id maxime impetrabitur, ut nonniſi ea imiteris,

quæ digna, & imitanda ſunt: id quod nos quidem §. 217. præcepimus.

Altera ſi tibi regula perpetuo obverſetur, cavebis, ne ea imitere, quæ tibi inimitabilia ſunt. Quod quidem, quantopere fieri oratoris interſit, §. 213. ſatis, opinor, expoſitum eſt.

Præterea, cur actio oratoria hæc aut illa potiſſimum placeat, ut expendas, diſtinctior imitandi ratio depoſcit. Ut enim quidque maxime intelligis, ſic in eo rectius ſequendo, eris feliciſſimus.

Quomodo autem actio quædam oratoria ſuſcipiatur, ſi curatius obſerves, propius quoque ad affingendam ſimilem accedes.

Denique, ut, quo in audientium animis affectu geſtus omnis adhibeatur, ad animum vocare nunquam deſiſtas: ipſe ſcopus oratoriæ omnis, qui ad perſuadendum refertur, vel me non monente, condocefacit.

§. 225.

transitus ad dubia quædam.

Hæc ſunt, quæ de corporis eloquentia, compendio non inutili forte, proponenda putavi: in quibus, cum primum pauca à me dubia ſubjuncta erunt, ſubſiſtam, reliqua & lectoris, & eorum, qui pleniora, rectiora, nec non accommodatiora callent, & faciunt, judicio commendaturus.

§. 226.

dubium primum.

Simiarum, illi forte inquiunt, quorum animus ab eloquentia corporis exſiſtit alienior; *ſimiarum illa conſuetudo eſt, ut, actionum quarundam externa ſpecie, hominum mentiantur negotia, & affectus.*

§. 227

§. 227.

Simiarum eſt, hominum præ ſe ferre externa, at ſine humana mente. Cum vero nos oratorem cum corporis eloquentia mentis facundiam, i. e. ingenioſam inventionem, diſpoſitionem judicioſam, & affectu ſuavi animatam elocutionem, conjungere jubeamus: non eſt, cur quisquam metuat, ne cum ſimiarum geſticulationibus vaniſſimis, oratoria actione quidquam conformitatis habitura ſit. reſponſio

§. 228.

Alii veritatis plus, quam ſpeciei externæ, judicii potius, quam corporis motuum, rerum magis, quam ſignorum in ſenſus incurrentium, curam gerendam eſſe dictitabunt. ſecundum dubium.

§. 229.

Hoc ſane quisquis requirit, nos minime diſſentientes habet. reſponſio

§. 230.

Namque profecto exiſtimamus, de rebus ſapienter, pro loco & tempore excogitandis, de animo ad affectum, propoſitis rebus conformem, inſtruendo, tum de verbis idoneis, denique de accurato ordine prius cogitandum, quàm de actione oratoria, rite componenda, ſuſcipiatur cura. continuatur

His quatuor momentis non oratoriæ tantum profanæ, ſed & ſacræ pondus ita librari poteſt, ut quidquid exemplorum occurrat, fere ad quatuor poſſit revocari claſſes.

Sunt, qui ſola loquacitate commendabiles, nonniſi verba dant, prætereaque nihil.

Sunt, qui verborum, & rerum abundantiâ magnam conſequuntur copiam: ſed ſine ordine & affectu.

Sunt, qui verborum, rerumque adparatui ordinem adjungunt; frigida oratione vero haud commovent cujusquam affectus.

Sunt denique, qui & verborum copia, & adparatu rerum, & ordinis accurato nexu, & affectûs, omnes auditores percellentis, efficaciâ, plane admirabiles, ſed rariſſimi, exſiſtunt.

Non diffiteor tamen pro varia horum quatuor characterum, in ſingulis oratoribus, combinatione, plures claſſes conſtitui poſſe.

Videas, qui verba, tantum & affectus, videas qui res & verba ſine affectu, videas qui res ſine verborum copia, videas qui ordinem absque affectu conſequuntur.

Quibus ſi acceſſerit quinta actionis oratoriæ virtus, divina facundiæ vis exoriatur neceſſe eſt.

§. 231.

continuatur

Itaque plus veritatis, quam ſpeciei externæ, judicii potius, quam corporis motuum, rerum magis, quàm ſignorum habenda ratio eſt: ſed uti, qui magis colendum eſſe DEum affirmat,

quam

quam parentes, hos colendos eſſe minime inficiatur: ſic, qui mentis facundiam ſibi primo commendatam loco habet, corporis eloquentiam deinceps non prætermittit.

§. 232.

Eloquentiæ, quæ ad corpus ſpectat, præcepta nonnulla forte & oratorum ſimulationibus, & auditoris decipiendi occaſionibus eſſe patrocinatura, cauſſabuntur. **tertium dubium**

§. 233.

Sed uſum abuſu non tolli, quis neſcit? Nihil tam præſtans, nihil tam ſanctum, nihil tam divinum eſt, quo homines ad malitiam ſuam, coloribus tingendam, non utantur. **reſponſio**

§. 234.

Nec deerunt forte, qui regulis ad corporis eloquentiam pertinentibus nos indigere negabunt. Hi nobis naturam ſequendam ducem commendabunt. Motus ergo corporis, qui ad exprimenda orationis artificia pertinent, odioſius adſcita, ideoque affectata, & evitanda ob eam eſſe cauſſam, prætexent. **quartum dubium**

§. 235.

Sed, quod §. 220. jamjam occupavimus, id hoc loco repetendum eſt. Invita utique Minerva nihil à quoquam agi debet. Nemo tamen negabit, quin arti natura ſubſterni, & viciſſim ars ſuperſtrui naturæ poſſit. **reſponſio**

§. 236.

Artem puto ita diſci poſſe, ut à natura inditam, nec anxie adſcitam exiſtimes: & viciſſim naturam ſic in corporis eloquentia poſſe adhiberi, ut tamen arte multis modis exculta adpareat. **continuatur**

§. 237.

Hiſtrionibus, inquis, *illa quidem actio oratoria, ſeu eloquentia corporis, digna eſt: non prudenti, non gravi, non denique ſerio viro.* **quintum dubium**

§. 238.

§. 238.

reſponſio Si actionis oratoriæ, ſeu corporis eloquentiæ ſtudium immodicum affectatumque exſiſtat; ſi à ſolida mentis ſapientia, quæ proloquitur ornate, ſejuncta ſit: quin hiſtrionibus condigna judicetur, dubium eſt nullum:

§. 239.

continuatur Sed ſpuriam ejusmodi corporis eloquentiam præcepta à nobis in antecedentibus tradita minime formant: quin potius talem, quæ mentis eximiam facundiam præſtruat; quæ eidem reſpondeat exacte; quæ non exprimat corporis motu, niſi quod affectus animi concepit antea.

§. 240.

Hac quicunque utitur; ab hiſtrionum more toto ſejunctus cœlo eſt.

Ars hiſtrionis fabularum, jocorumque ſalibus, geſtu offerendis, inſervit: corporis eloquentia mentis facundiæ, majoribus ornandæ jucunditatibus, ſuccinit. Illa ſpectatorum riſum captat, hæc animas auditorum, i. e. ſenſus recludit, ad intromittendam ſapientiam ornate loquentem, i. e. facundiam.

§. 241.

ſextum dubium Divos viros, prophetas DEI, apoſtolosque, nunquam hac oratoria actione uſos, alii forte, nobis adverſaturi, objicient.

§. 242.

reſponſio Primo de ſacra quidem oratoria, quæ ſuperioris fori eſt, nos hoc loco non maxime ſoliciti ſumus. Tum vero ne rhetoricam illi quidem didicerunt, quam noſtrorum propterea ex manibus excutiendam non dixeris.

§. 243.

ſeptimum dubium Denique erunt, qui magis QUID dicendum, quam QUOMODO, aut quo corporis geſtu, oratori commendandum eſſe, ſuadebunt.

§. 244.

reſponſio Sed quid, ſi utrumque curæ commiſſum tuæ arbitreris? Quid, ſi hoc faciendum, & illud non omittendum eſſe, fixum animo firmiſſimumque ſit?

Hæc ſunt dubia, quibus aliâs occurri doctrinæ de corporis eloquentia ſolet. Si cujus animum plura ſubeunt, is aut ex ſe ipſo, aut ex ſuperioribus, quid reſpondendum, facili negotio perſpiciet.

Part

Pars ſecunda agit
De laudanda actione oratoria
(α) καθ' ἄρσιν. De illa eloquentia ad Chriſti populum exercenda hic non agitur §. 1. ratio §. 2. teſt. Chryſ. §. 3.
(β) neque de Eloquentia ſtricte ſic dicta, quæ eſt facultas inveniendi, diſponendi, & eloquendi. §. 4.
Sed κατὰ θέσιν. de eloquentia corporis §. 5. ratio adpellationis §. 6. explicatio rei §. 7. an Veteribus cognita §. 8. judicium Ariſtotelis §. 9. Græcis dicitur hypocriſis §. 10. momentum hujus eloquentiæ §. 11. probatur §. 12. 13. Tractationis partitio §. 14.
Primum caput eloquentiæ hujus præcepta ſiſtit §. 14.
(α) quæ ſubdividuntur ſecundum Ariſtotelem §. 15.
(β) juxta Quinctilianum ſcilicet ad aures oculosque demulcendos §. 17.
a. voce. §. 18. quid vox. §. 19. definitionis Platonicæ momentum. §. 21. objectio §. 22. ſolutio §. 23. conſilium tradendi leges de voce §. 24.
(α) lex. I. caveatur vox nimium clamoſa. §. 25. probatur §. 26. illuſt. §. 27.
(β) II. juſto ſubmiſſior. §. 29. illuſtr. §. 30. prob. §. 31.
(γ) III. juſto tardior. §. 32.
(δ) IV. lingua nimium volubilis §. 33.
(ε) V. titubans. §. 34.
(ζ) VI. cantillans. §. 35.
(*) an in oratore vox rauca turpis an commendanda, diſquiritur. §. 36.
(η) VII. non eadem ſit ſpiritus & ſoni intentio §. 37.
(θ) VIII. non literarum oppreſſio. §. 38.
(ι) IX. nec vox certis ſaltim ſonis diſtincta §. 39.
(κ) X. vox & verba rerum emphaſi reſpondeant §. 40.

(λ) XI. quæ exhilarant, pronunciantor voce liquida. §. 41.

(μ) XII. caveatur inculta & agreſtis pronuntiatio §. 42. differentiæ vocum ratione quantitatis & qualitatis §. 43.

(ν) XIII. natura maxime ſectanda §. 44. fundamentum §. 45.

(ξ) XIV. non loquendum lingua mutuata. §. 46.

de omnibus dari leges nequeunt. §. 47. ſunt quædam inenarrabilia §. 48. ratio §. 49. determinat tamen actionem

1. auditor. §. 50. probatur exemplo obvio. §. 52.

2. ætas. §. 53.

3. natura §. 54. illuſt. exempl. §. 56.

b. geſtu. §. 57. cujus recta conformatio conſiſtit in decenti

(α) vultus motu. §. 58.

lex generalis de vultu componendo, ut dignus ſit oratore. unde Corollaria deducuntur §. 59.

lex ſpecialis ut inſit vultui pudor & acrimonia §. 60.

quis oratoris vultus eſſe debeat, §. 62. quales oculi. §. 63. 64.

(β) capitis. orator dicat capite erecto §. 65. an tegendum caput §. 66. frons integra §. 67. prob. §. 68. verecunda §. 69. in lætis exporrecta, in ſeriis & gravibus adducta §. 70. os non hiato §. 71. nec aërem captato §. 72.

(γ) manuum. duo ſunt cavenda extrema

a. nimia geſticulatio. §. 76. teſt. contra illam. §. 77. exemplum a ſaltatoribus priſcis §. 78. citatur §. 79. applicat. §. 81. 82.

b. nimia geſtuum quies §. 83. cur primo §. 84. cur ſecundo §. 85.

Mediocritas oſtendenda. §. 87. difficultas tenendæ mediocritatis §. 88. prima mediocritatis

tis functio §. 89. ſecunda Regula §. 90. illuſtr. §. 91. regula de veſtitu §. 93.

CAP. II.

De Præceptorum Rationibus.

quæ petuntur

à naturæ humanæ phænomenis:

Phæn: actione plauſibili nos maxime moveri §. 96.

oratoriæ eſt docere, conciliare atque concitare §. 98.

quod hypocriſis præſtat §. 99. concluſio §. 100. vox en. conciliat, manus docent, vultus concitat §. 101. teſt. Ariſtot. 102. Iſocratis 103. Quinctiliani 105. exemplo Demoſthenis 106. Homines rebus per ſenſus externos perceptis multum moventu 107. teſt. Ariſtot. 108. tranſitus ad ſpecies hypocriſeos. 109. præſtantia literæ vivæ præſcripta.

(α) de vultu decenter componendo.

Phæn. qui perſuaſi ſpeciem ipſe præ ſe fert, perſuadet. 115. indue affectum, quo vis alios movere. 116. applic. 117. cautela. 118. à quibus negligatur 119. quid tamen proſit. 120. explicatur ulterius. 121. de vultu compon. Oratoris afferuntur teſtimonia 122. Auſ. Popmæ. 123. Non. Marcelli 124. Ciceronis 125. Plinii. vultus non ſemper ſignum animi. 126. reſp. 126. vultus non cum actu voluntatis ſed & ejus proclivitate conſentit. 127. teſt. Quinctil. 128. exemplo 129.

erumpunt tamen animi παθήματα ſæpe (1) in ætate tenera 130. (2) matura. 131. concluſio.

(β) de manuum vultu. 133. exemplum ſaltationis antiquæ & hodiernæ 135. ſeqq.

(γ) probatur in genere neceſſitas geſtuum 141. exemplo Demoſthenis 142. qui etſi non cuivis placeant, 143. nihil tamen nobis obſtant 144. concluſio ex antecedentibus. 145.

Rationum Rationes

I. intelligibilibus addita ſenſibilia movent fortius: ubi plus cauſæ, ibi major effectus §. 148. prob. 149. teſt. Senecæ 150.

II. Ideæ externorum ſenſu perceptæ ſunt magis compoſitæ, hinc afficiunt vividius. §. 152. Corollaria. 153.

III. quod per duos ingreditur ſenſus fortius movet eo, quod per unum 154. teſt. Valer. Max. 155.

IV. ex ideæ ſpiritalis & imaginis corporeæ conſenſu oritur perfectio, adeoque voluptas, adeoque niſus ad aſſenſum. 156.

V major fit animi ſignificatio.

evolvitur, quantum probent geſtus, animi qui videntur indices. 158. 159. diſtinctius 160. Harmonia animi & corporis eſt limitata 162. diſtinctius explicata 163. etiam corporis in animam eſt limitata 164. & ratione objecti utraque 165. applic. 166.

CAP. III.

De Artificio Eloquentiæ Corporis conſequendi.

Tria adminicula 169.

α. Φύσις 170. teſt. Ariſtot. 171. Pythagoræ. 172. Pindari 173. hinc opus eſt, ut explores (a) naturam. 174. teſt. Tullii. 175. Quinctiliani 176. b. ne eidem nimium fidas, nec deſperes. 177. c. ut eam vel optimam excolas. 178. d. nec. difficillimæ diffidas. e. non miracula exſpectando. 180. quale de Crœſi filio Valerius M. 181. Aulus Gellius & Herodotus de eodem. 182. de Batto Pauſanias 183. f. ſed. ordinariis utendo artificiis 1. in aſſuefaciendo. 184. 2. in exercendo 185. Exemplo Demoſthenis. 186. 190. 3. legendo optima ſcripta & pronuntiando ſuo quidque geſtu. 192. non obſtat naturæ difficultas 193. 194. g. ante ſpeculum recitandæ orationes. 195.

β. ἄσκησις. 196. ratio. 197. praxeos neceſſitas. 198 - 201.

δ. μάθησις. quæ nititur α præceptis. β. exemplis. 203.

α. præcepta ſunt vel generis vel individuorum 204.

præcepta generis quomodo tractanda 205. præcepta ſingulorum diſcuntur 1. in privati monitoris 2. in publico populi judicio 206. adjumentum 1mum probatur 207. 208. 2dum 209. prob. 210.

β. exemplis, quæ ſunt vel generalia, vel ſpecialia 212. probatur primum genus 213. ſolvitur objectio 215. 2dum. 216. non imitanda vitia 217. ſed obſervanda. 218. ratio §. 219. ſed imitandæ virtutes 220. affectus 221. cura organorum corporis gerenda 222. probatur ulterius 223. imitandi opportunitas nervoſe contracta. 229.

Proponuntur dubia contra hypocriſin. primum quod iſta ſit ſimiarum 226. reſponſio 227. ſecundum. curetur magis veritas, quam ſpecies externa 228. reſponſio 229. 231. tertium. favet ſimulationibus 232. reſponſ. 233. 4tum. Natura ſequenda eſt. nec opus regulis hypocriſeos. 234. reſponſio 235. 236. 5tum. hiſtrionibus hypocriſis digna eſt. 237. reſponſio 238. ſeqq. 6tum. Divi Prophetæ & Apoſtoli nunquam uſi ſunt hypocriſi 291. reſponſio 242. 7timum. curetur potius quid dicendum quam quomodo 243. reſponſio 244.

Cunz, Israel Gottlieb